

IOANNIS SEVERINI  
CONSPECTVS  
HISTORIAE  
HVNGARICAE  
IN VSVS PRAESERTIM IVVENTVTIS  
ADORNATAE.

---

PARS POSTERIOR,  
RES GESTAS  
REGVM OMNIUM,  
AD ANNVM VSQVE M. DCC. LXXV.  
COMPLEXA.



---

POSONII & CASSOVIAE,  
Sumptibus IOANNIS MICHAELIS LANDERER,  
Typographi & Bibliopolae.

1 7 7 8.

P. VIRGILIUS MARO

LIB. I. AENEID.

— — — — *Longat est iniuria, longae  
Ambages; sed summa sequar fastigia rerum.*



## PROLOGVS HISTORIAE HVNGARICAE.

**Q**uum tandem ad scribendam alteram Conspectus Historiae Hungaricae partem animum adpuli: id mihi, ante omnia, negotii dari videbam; vt, quae priori de rebus patriae veterissimis, intermisseram, aut certe leuiter perstrinxeram, hoc, tametsi alieno sere loco, sarcirem, summatim copiosius alibi dicta, repetendo. Demonstrari scilicet editis in lucem commentationibus, Hungariam, prisca aetate, a diuersis cultam fuisse populis, sicut erant Pannonii, Daci, Iazyges, Sarmatae, Quadi. Regio proinde nostra, primis duabus praesertim faeculis, diuidebatur in Pannoniam, Daciam Tibissanam, Iazygiā, siue Sarmatiam Iazygum, et Quadiam. Haec, constrictis demum post Vespasiana tempora, arctiore termino Metanastis, a Granua ad Morauam pertinebat. At angustia locorum circumcluderetur: nihilo secius Romanis prouinciis magna inferebat damna, vt Antoninus cumprimis Philosophus,

## PROLOGVS.

pertinaci certamine debellare eam necesse habuerit, Sarmatia vero, ab amne Grano, haud ultra Tibisci alues porrigebatur; quam praeter Iazyges Metanastas, Gothini quoque, et Osi, Sarmatica lingua loquentes, incolebant. Dacia Tibiscana, hodiernam Vltratibiscam regionem, ambitu suo complectabatur, quam Traianus, victo Decebalo, partem provinciae Rom. fecit. Atque haec iam facies Hungaricae citerioris, vetere fuit aevo; ne quid de aboriginibus commemorem.

Inde post haec, a Saeculo IV. postquam variis populi diuerse migrare coeperunt: haec quoque ora multarum gentium quasi diversorum fuit. Priuii Vandali, natione Germani, heic confederant; dehinc Gepidae, Hunnos a Transiluania ultra Tibiscum sedes protulisse, vix quisquam probauerit; et si provinciam hanc ita transisse non ambigo, ut, quod si tributum haud dederat, profecto aduersus communem hostem, dum opis erat, arma tulerit. Id ex Iornande et Procopio doceri potest, post Attilae occasionem, in terris Quadorum, et Metanastarum, Rugios, Scyros, Herulos, atque Longobardos consedisse aliquamdiu. Quod Avares his locis habuerint, quando iam olim id a me demonstratum sit, neminem amplius dubitaturum existimo. Postquam hi a Franconibus ad incitas redacti sunt, veteres coloni, nomine Slavorum nomine insigniti, cum Chrobatis, Germanisque late heic locorum dominabantur, nec unquam

## P R O L O G V S.

ab Hungaris hinc electi sunt, in ciues contra, sociosque cooptati. Haec de citeriore Hungaria. \*

Transdanubiana; antiquitus pars erat Pannoniae, quippe quae ab Augusti ad Vespasiani aetatem, hodierni Hainburgi, Cilleiae, Labaci, Colapis atque Draui terminis finiebatur: post haec dein tempora Cetio, illisque montium iugis, quae Carnioliam, Croatiam, Bosniamque, a Morlachia Dalmatiaque se iungunt, Drino item flumine, Sauique extremo dividebatur ea in superiorem, seu primam, et inferiorem, seu secundam, vel consulariem. Provinciae utriusque erant: Sabaria, Valeria, quae in Ripensem, et Praeualitanam abscedebatur; Siscia et Sauia, cuius partes fuere Pannonia Sirmiensis, Budalia, et Amantina. Montes omnibus in Pannoniis prisci sessores nominabant Bebios, Claudium, Albanum, Caruanam, Cetiumque: paludes Volceas (Balaton) Peisonem, et Herculam: urbes illustiores fuere, Iuliobona, Carnuntum, Bregetio, Acircum, (Strigonium) Sicambria, Taurunum (Semlin, haud vero Belgradum Moesiae,) Sirmiam, Cibalae, Mursia, Siscia, ubi nummi cudebantur, Amoena et Sabaria, quatuor Coloniae. Potentianam effinxit cum aliis Thurocius.

De caetero Poones, a queis regio nomen adepta, ex Asia per Hellespontum primitus transgressi, ubi Thraciae partes ad Pangaeum diu insederant, per Mo-

---

\* Persequutus sum et prolixius in commentatione de veteribus Hung. cisdanubianae incolis.

## PROLOGVS.

siam tandem vltra Sauum et Drauum flumina penetra-  
runt, idque partim Dario Hysdaspe, partim Philippo  
Macedone, Alexandroque regibus, denique Paullo Ae-  
milio Conf. Hi vt plurimum Thracum instituta se-  
quuti, inquilinos habebant, primuim Gallos Scordiscos,  
Boiosque, tum Marcomanos, Singuli demum a Roma-  
nis, orbis terrarum victoribus, ineunte saeculo primo,  
post datas et acceptas clades, penitus domiti et subacti  
sunt, Tiberio tamen, et si de eis triumphauerat, impe-  
rante, legiones Pannoniae, Percennio et Vibuleno aucto-  
ribus, foedam seditionem conflarant, quam deinceps  
Drusus, ecclipsi lunae, quae tum acciderat, in rem  
suam vsus, felici euentu soperaverat. Postea, dum Roma-  
na respubl. plurium imperio distrahebatur, Pannonii ex-  
ercitus pro Othonе, et hoc extincto, pro Vespasiano  
contra Vitelium stabant, magnoque ei usui in rebus  
gerendis erant. Ut Traianus, post inanes Domitiani  
triumphos, reapse Dacos bello duplici vicerat: Panno-  
nia tanto felicius aduersum varios hostes, quales Marco-  
mani in primis. Quadi, et Iazyges erant, defendebatur.  
Constantinus, cognomento Magnus, deuicto ad Cibalim  
Licinio, imperii aemulo, potestatem Vandalis se-  
cit in sedes Pannonia figendi. Qui patrem in imperio se-  
quutus est, Constantius, sicut Magnentium tyrannum,  
apud Mursiam, graui proelio, ita Sarmatas et Quados  
hostes Pannoniae secundis conflictibus fudit fugavitque.  
Victorias prosequebantur Iouianus Singidonensis, Valenti-

## PROLOGVS.

nianus Cibalis natus, Bregetione mortuus, et Gratianus Sirmiensis. Post excessum Vandalorum Alanorumque, Hunni gens Scythica, Pannoniam circa an. 394. haud vero, ut plurimi voluerent an. 370. qua foedere partim occupare coeperunt, donicum tandem Attila totius regionis potiretur: nec tamen is heic, sed in Dacia regiam habebat sedem. Attilae filii, ob imperii contentionem, ab Ardarico, Rege Gepidarum, ad intercessionem caesis, Ostrogothi, permisso Marciani Imperatoris, Pannonias tenebant, et velut contra Hunnos, quies ante seruierant, sic aduersus Suevos, Scyros, Regem item Sarmatarum Babaium, Herulorumque Odoacrum, armis defendebant, donec Rege Theodorico, in exitu saeculi V. Italiam peterent. His an. 520. Iustiniani indulgentia successerunt Longobardi, Rege Audoino, a mari Baltico egressi, qui dein perpetua cum Gepidis gesserunt bella, postremo a Narsete, ad Italiam possidendam euocati. His ita alio demigrantibus, indigenae Pannoniam tenebant, Imperatoribus subiecti Byzantinis, dum ab Avaribus, circa an. 603. occuparetur. Prope duo saecula gens haec bellicosa regione nostra potiebatur, quum tandem Tassilonis, Ducis Bauariae societati impliciti, Caroli M. armis impetrarentur, sedibusque suis, bello decennali superati, eicerentur. Abiit itaque regnum hoc, cum Dacia, in potestatem Francorum, qui secunda illi moderabantur fortuna ad tempora usque Suatopluci; Magnae Moraviae

## PROLOGVS

imperatoris, qui cum Carolomanno et Arnulpho de-  
certans summam imperii in Pannonia, ad ultimum obti-  
nuit. Aduersus hunc deuocati Hungari, ab Volga haud  
pridem ante Transiluaniam ingressi, an. circiter 900.  
vel etiam paulo post, pro se, quam Francis regionem  
occupare maluerunt, quam hucdum rebus prosperis te-  
nent. Sed haec quidem in eo meo libro, quem PAN-  
NONIAM ILLVSTRATAM inscripsi, pluribus ex-  
posui, vbi praemissa vetere Geographia, et antiquorum  
regni colonorum notitia, de Pannonia Romana, Van-  
dalica, Hunnorum, Ostrogothica, Longobardica, Apa-  
rum, Francica, Marahana, et Hungarica vberius dis-  
serui.

Quod reliquum fuit de Regum Hungariae decretis,  
iuribus, redditibusque: de Rege iuniore, quales Bela  
IV. et Stephanus V. erant: de Ducibus, Baronibus  
Regni, Banis, Marchionibus, Vaiuodis, Comitibus  
que, de Vduornicis, Bilochis, Pristaldis: de re eccle-  
siastica, nummaria, diplomatica, et Scutaria: de libe-  
ris regiisque Ciuitatibus, earum origine et praerogatiis  
prudens tacui: partim quod haec proxiliorem ac equi-  
dem instituere potuisse, tractationem postulabant; par-  
tim quod Iureconsultis, Historiae item sacrae, rerum  
que eiusmodi Doctoribus hanc curam demandatam esse  
videbam. Nihilofecius de origine prouinciarum Hun-  
gariae, quas Comitatus vocamus, paucula putauit ad-  
iicien-

## P R O L O G V S.

iicienda, vel eo nomine, quod hanc diu societas quae-dam erudita, quaestionem hac de re mouerit. interim breuitatem professio, nemo officium detulerit, prolixio-rein, tametsi proximam materiae disputationem scri-bendi, de Comitibus peregrinarum, quae nobis vicinae sunt, gentium, eorumque prouinciis, ad quorum modum nostrae institutae esse videntur, nec de Hringis Auarum, a quibus olim conuentuum Hungariae origi-nem deducebam. Dixerint haec alii: equidein, duce incerti nominis Belae Notario, scriptore omnium pa-triae antiquissimo, comitatus cum Hungaria eundem habere ortum existimarim, Slauos sub aduentu Arpadi in hanc oram, regionem citeriorem in prouincias distri-buisse dubitari non potest, quando Titulensis, et to-tius intra Danubium, et Tibiscum terrae Dux fuerit Salanus; Byhorensis, Moroutus; Nitriensis Zubur; sed castrum quoque Gumura, et Nouogradum, iam illis temporibus populum suum, et, vt noster loquitur, partes habebat suas; arx super haec nomine Hung. Comitem Loborcium, quem ciues sui Ducam adpella-bant. Postquam Hungari regione potiri coeperunt, primus Borsu, Comes Borsodiensis creatus est, qui po-stea ex patris sui Bungerecii castro Geuru, et suo Borsodia vnum fecerat Comitatum. Tractus vero Ni-triensis supremus Comes ab ipso Arpado dictus erat Huba, viator Bohemorum. Ita Hungari Ducis sui,

## PROLOGVS.

primorumque consilio plures constituere Comitatus. Aedificarunt scilicet locis opportunis arces, queis vicos certis limitibus descriptos regundos defendendosque subdiderunt; id quod patria lingua Vármegye appellabant. Sic Comitatus Zabolcensis, fundator erat Zabolus; primus vero castri praefectus Ecclius; sic Ete, praefectus Baronensis dioecesis, aedificauerat castrum Csongradam, et Borsus, de quo nunc memini, Zouolunum, quorum nomina hodieque superant. Vsuba autem, et Euseenus Comitatum Castriferri ac Vesprimensem (huius primus Comes Vsubuncus erat) Sopronensem Sacus, Symeghiensem Eudus, et Cadusa Temesiensem, Tahutus Transiluaniae, ac Pota denique Henesiensem constituisse videntur. Id certum omnino est Veluquium Comitatu Zarandiensi ab Arpado Duce donatum fuisse: primum vero perpetuum Comitem Pestiensem Billam, et Bocsum Bacsiensem, prioris fratrem, a Toxo creatos. Duce Geiza Hontensem prouinciam in ordinem redigit, Comes Hunt: Iauriensi praeverat Volphgerus, ex comitibus Homburgi. S. demum Stephanus, exterios imitatus Principes, devicto Cupa, Simeghiensis Comitatus Duce, meliore disciplina regundas prouinciolas instituit, praefecitque aliis Duces (sic Emericus Dux erat Slauoniae) Marchiones aliis, aliis porro Comites, et his rursus, ut grauitati muneris occurreret, adiunxit Vice-Comites,

et

## P R O L O G V S.

et Iudices varios , Exaëtoresque. Nec tamen habeo dicere , quot numero , hoe Rege , Comitatus in Hungaria fuerint. Sub Bela , et Geiza II. Otto Frisiniensis LXX. plures exstitisse memorat : M. Rogerius Bela IV. Rege LXXII. Petrus Ranzanus Coruini imperio LXXIII. quos hic quidem ordine enumerat suo : Stephanus Werböczius , sub Ludouico II. LXIV. Hodie , postquam nonnulli aliis prouinciis adnumerari coepti sunt , vix unum supra L. repereris. Haec ego de Hungaria eiusque diuisione. Utinam esset , qui nos ortum et occasum doceret regnorum , Croatiae , Dalmatiae , Ramae , Halliciae , Lodomeriae , Seruiae , Cumaniae , Bulgariae , et Sclauoniae. Quae hanc in rem equidem ex diplomatis eruere poterant , dum inter reliqua monumenta , ad Eruditissimi Kercselichii notitias , huiuscemodi rerum studiosos delego , subiungendum duxi S. Stephanum se totius Hungariae primum scripsisse Regem : S. Ladislauum Croatiae , Colomannum Dalmatiae , Ramae , Bosniae , et magnum Hungariae Regem : Belam III. Rasciae et Lodomeriae : Belam IV. Cumaniae , et Goriciae : Stephanum V. Bulgariae , ( vt Belae diploma hac de re praeteream ) Ludouicum I. Poloniae : Sigismundum Bohemiae : Ferdinandum I. Sclauoniae. At haec nunc quidem sufficerint. De caetero numen diuinissimum uti pro lata mihi clementer , et in hoc labore ope ,

## **P R O L O G V S.**

supplex veneror, ita publica voce oro atque obtestor;  
vt hoc regnum Hungariae, dum imperium orbis ter-  
rarum steterit, florentissimum esse iubeat, in quo  
pietatis litterarumque amor, et trauquillitatis atque  
fortunae decus perennent.



**Q. D.**



Q. D. B. V.  
CONSPECTVS  
HISTORIAE HVNGARICAE  
PARTIS POSTERIORIS  
*LIBER I.*  
DE  
REGIBVS INDIGENIS.

Vt ea, quae scribere coepi, perse-  
quar, initium operis mihi erit S.  
STEPHANVS Rex. Hic simul ac  
regnum adiit, si non aemulum imperii,  
qualis Cupa erat, certe aduersarium na- 1002  
ctus est Gyulam auunculum, moris maio-  
rum, quam amicitiae tenaciorem; qui sicut  
prius bello pacem, sic iam in pace bel-  
lum quaerens, grauior, quam pro fortis  
necessitudine oportebat, coniuncto erat.  
Nec enim solum Regem importunissime  
adhortabatur, desisteret tandem peregrini-  
nis ritibus, ciues suos imbuere: sed in  
Hungaria etiam, vt monita sua despici-  
fenserat, infida omnia atque infesta faciebat.  
Infe-

Infelicis adeo incoerti auctores adiutoresque nactus omnes quidem, quibus gravis erat inueterati moris externa mutatio; at in primis principes turmarum, qui a clade Cupana supererant, et ad Transiluanum salutis, et vindictae causa con fugerant. Rex vbi vltro citroque missis legatis Ducem ad pacis consilia minus, quam optabat, transire animaduerterat, ferocius contra ciere tumultum, iniuria suorum motus, arma expedit, et exiguo interuallo temporis eo angustiarum hominem quietis et fortunae impatientem adduxit, vt se, suaque omnia victoris arbitrio committeret, nec, vnde abductus erat, amplius rediret, et si sacra ablatus vinda, ne fors regionis, quam religionis cupidior euaderet. Ita hoc in potestatem redacto, Transiluania iuribus Hungariae 1004 adnexa, opera Vaiuodarum (Duces, vel praetores latine dixeris) regebatur. Hac sollicitudine, et bello Bulgarico, postquam Keanum vicerat, functus Rex, ad curas velut sacrae, ita ciuilis, eique cum publicae, tum suaे priuatae rei, denuo toto animo incubuit. Parabat enim, eximio prudentiae ac pietatis exemplo, Hungariam a maioribus suis vi et armis acquisitam cultamue, iure, legibusque, ac moribus de integro condere. Ea mente magistratibus regni ordinatis, vt Pontificatus instituebat, nominatim Strigoni, Colocsae,

locsae, Vesprimii, Quinqueecclesiis, Csanadini; Abbatias Pecsuardensem, Saladiensem, et Bakon-Beliensem, ut esset, quo consultum plebs veniret, et vnde rerum sacrarum hauriret Scientiam: sic leges de publicis commodis fanciebat, et in comitio Tolnensi, an Strigonensi, equidem haud definiuerim, promulgabat. Dum ita reipublicae fatagit, nascitur ei, ex Gisela <sup>1007</sup> vxore, Henrici Duci Bauariae, cognomento Rixosi filia, soror quae fuerat Henrici Imperatoris, Emericus maximae indolis, et vitae dein, quae nullius, praeter quam paterno fulgore vincebatur; dignissimus imperio, ni mors immatura spes secessisset publicas. Haec inter Byssenorum exercitus, per occasionem, ac solitudinem in fines, Hungariae obnoxios, in- <sup>1021</sup> cursum facit: ad Transiluaniam iniuria huius pars pertinebat. Stephanus coelesti, ut perhibent, monitu, inimica edoctus molimina, tribuno militum, qui proxime ab hoste aberat, praepeti nuntio, negotium dat, prouideret suis rationibus, et euentibus aliorum, daretque operam, ne inultum hostem longius vagari patereatur. Postquam ad manus ventum est, Bosni cladem accipiunt, et, ne fortuna perculsi, duriora perferre cogerentur, magno cum pondere auri, legatos de pace petenda ad Regem mittunt. Hi dum iter faciunt, quae muneris portabant, scelere quo-

quorundam amiserunt; impetraruerunt nihilominus, quam desiderabant, pacem, auctoribus violati iuris gentibus vniuersis sacri pro merito punitis. Secutum est illud. Mortuo Henrico Caesare, cum res Romana penes Conradum, cognomine Salicum esset, ac inimicitiae Hungaros inter, ac Boioarios eae intercederent, vt illi Noricum infestis signis

1030 percursarent; Stephanusque transitum per regnum suum legato Caesario, magnum seruorum impedimentorumque numerum secum trahenti, Constantinopolim negaret, adeo exacerbatus est Imperator his rebus; vt mente inimica, Hungariam inuaderet. Sed omnis ira belli ad populationem duntaxat agri vertit. Id tamen satis Conrado visum, cur pro victo relinqueret Stephanum, quem contra Chartuitius precibus ad Deum fusis, hostem superaffe docuit. Pace cum Henrico, filio Conradi, conciliata, dum et animo, ob filii mortem inopinam, angeretur, et corporis morbo laboraret, segnius rempublicam administrare videbatur, quam vt omnibus satisfaceret. Quo factum est, vt purpuratorum nonnulli oc-  
1032 cidendi eius impetum conciperent; occubuisseque, sine dubio, eo scelere, ni coniuratorum vni, conlaue regis, coelo iam vespertascente, ingresso, telum vagina nudatum, quod sub veste latebat, impro-

improuiso excidisset, regemque de periculo admonuisset. Parricida, quod scelus oculi non poterat, vel defendi, complexus regem, orare coepit, ut praeteritam vitam potius, quam culpam, temeritatis tamen, quam pertinaciae, potius intueretur. Haud facile dixerim, pauorene, an religione percitus Rex, dextram, reconciliatae gratiae pignus obtulit, cum caeteros sceleris participes equuleo impositos, necari iuberet. Sed nec illud diremerim, numne huius, an alterius facinoris metu, Andreas, Bela, <sup>1033</sup> et Leuenta, Ladislai Calui filii, ad solum vertendum perduci fuerint. Stephanus caeterum et si vitam sibi prorogatam, ut ex impiis ingratorum ciuium manibus euasit, videbat: sensit nihilominus horam supremam, quam impietas accelerare volebat, sponte sensim adpropinquare. Deliberato itaque consilio, ne se mortuo, quae viuus de republica sapienter constituerat, irrita fierent, neu plebes, ductu seditionorum ad instituta vitae maiorum relaberetur, Petrum ex sorore sua, Guilielmi, Comitis Pictauiensis filium, non vero Vasulem, ut plerique scripserunt, fidissimis quibusque ex processibus, Regem summa contentione commendat, ac paullo post, quam regni curas amicis credidisset, rebus humanis eximitur, magno sui desiderio relicto. Con- <sup>1038</sup> ditus

ditus est Albae marmoreo monumento, comitante funeris pompam, ingenti nobilium virorum multitudine, maxima vulgi frequentia: relatus postero tempore diuorum in numerum.\* Non multo, quam huic parentatum est, communibus suffragiis, si Abam, Comitem Palatii, qui sibi peregrinum anteferri aegre tulit, demas, Rex constituitur.

PETRVS, Alemannus scriptoribus plerisque nuncupatus, vir clarioris gentis, quam animi. Gisélam ob sua, coniugisque defuncti in se merita, matris loco, et vt Reginam venerari oportebat; quod tamen <sup>1039</sup> is adeo contempsit, vt haec initio statim animaduerteret, se suo insigni beneficio, maximam sibi calamitatem quaesisse peperisseque. Ex iis enim, quae quotidie fiebant, vedit se non tam gratam apud Regem, quam inuidiosam esse, nec quicquam ex pristinae fortunae magnificentia, quam tristem recordationem habere. Ne itaque praesentis duritiem pati cogeretur; nam et cultus Regius negabatur, et a colloquio familiares arcebantur: neu origo diffensionis Regem inter et proceres existaret, relicta Hungaria, Patauim Bauariae, vitae statu commutato, sese contulit; quod tantum se ab odio inuidiaqne putabat

\* Vid. sup. cit. et ALOLDVS ad an. 1002. seqq. et P. Pray Dissert. de S. Steph.

tabat abfuturam, quantum a conspectu suorum recessisset. Nec tamen ea re tam conciliauit animos, quam alienauit. Hungari etenim ingratitudine eo consilii adactam Reginam impatienter ferentes, odisse, et contemnere Regem. Id ille intuens, ne otium, serendis factionibus aptum, aleret, in Noricum exercitum duit, Conradi iniurias vlturus. Et clarior 1040 omnino bello, quam pace fuit. Nam postquam hosticum libere peruagatus est: magna cum captiuorum multitudine reuertit; et paullo post idem tempus Bretilao Duci Bohemorum, aduersus Henricum Imperatorem, suppetias tulit, quibus Germani insidias inducti, partim caesi, pars in fugam coniecti. Huius opinione virtutis inflatus, vitio ingenii vehemens, impotensque, aspernando Hungaros, cuncta ex arbitrio peregrinorum facere, pudorem ingenuarum profanando, nefas omne permittere, iam animi libidine, non confilio ferri, et cum timeri, quam diligi cuperet, multa in opprobrium agere, ac fidem tandem demoliri coepit. Hungari deteriora verentes, Regi suo imperium abrogant, patriaque exigunt. Eo facto

SAMVEL cognomento ABA Rex 1041 statuitur, quod et dignitate summa erat, et Stephanum iure affinitatis contingebat:

bat : habuit enim sororem eius Saroltam in matrimonio. Arbitrabantur cuncti ab hoc robur libertatis, initium salutis Hungariae , post res nimium collapsas fore. At hic quidem, vt fortunae, ad quam natus videbatur, mediocritatem, moderate et prudenter tulit : ita magnitudinem capere non potuit. Quae enim in priuato animi continentia emicuit, in Re-  
**1042** ge crudelitate mutata est. Namque ty-  
 rannidem in suos prius, quam contra ae-  
 mulum regni bellum auspicatus erat. De  
 quibus suspicio fuit Petro, in Austria fug-  
 ga elapso fauere, vel indicta causa occi-  
 debantur. Neque ea licentia, in infimos  
 et mediocres saevitum est : sed excellen-  
 tissimi atque eminentissimi viri, diuerso  
 mortis genere, quidam palis sudibusque  
 infixi enecti sunt. Qua iniuria ciuibus ti-  
 morem, hostibus victoriam, partibus suis  
 excidium auctorarit. Sensim plerisque o-  
 mnibus exosus fieri coepit, cum ante exi-  
 mia caritate diligebatur; vt intelligi pos-  
 sit, maiestatem nulla re magis, quam vir-  
 tute niti , firmarique.

Non ignorabat Petrus , quae in Hun-  
 garia, magna procerum et populi indigna-  
 tione agebantur. In spem itaque , ea ci-  
 vium discordia, fortunae melioris inductus,  
 iterum Albertum, Austriae Marchionem,  
 propinqua cognatione coniunctum , et

Hen-

Henricum III. Imperatorem, pro eo, ac par erat, rogabat, suam vt vlciscerentur iniuriam, illo praesertim hostibus tam iniquo ac turbido tempore. Cum propter alias caussas, tum ne regii nominis vilesceret dignitas, vtrinque praesidium, et promissum, et datum est. Prima castra ad Hainburgum posita erant, hinc transito Danubio, Posonium captum. Hungarus bello, quod animo haud praeceperat, impar fuit, imprimis eo, quo geri debuit, loco. Caesariani populando atque vrendo tecta citerioris provinciae, sataque, in aciem vel inuitos extrahebant aduersarios. Hi molliter, quia virtuti diffidebant, et per dilationem bellum geri oportere arbitrati, fortuna aduersa, Grano tenuis Hungaria cessere. Aba ipse re inopina trepidus; nam super haec spes noui Regis, in Bohemia extorris, iniiciebatur nostris, Henricum per legatos conuenit, rogans, suum vt sibi regnum permitteret. Caesar, quod et nouus Rex, qui sermonibus magis hominum passim iactabatur, quam in publico vlo concilio dictus, a Samuele superatus est; et hic, vt postea Petrus, precarium regnum suscipere videbatur, pententi veniam dedit. Hoc alteri aequanimitatem animi, isti ferociam ingenerauit. Aba enim, supra quam olim, in omne hominum genus saeuiebat, quasi aliena, non sua culpa, quae vsu veniebant,

fierent. Eam ob rem tanta cura senatum populumque Hungaricum incessit; vt pariter negotium suscipiendum negligendumque timerent, ne sibi poenas, reipublicae seruitutem conciliarent. Vicit tandem amor patriae fructum rei priuatae, et odium acti olim in exilium Regis. Missi itaque sunt, qui Petrum postliminio ad Regni gubernacula capeſſenda reuocarent, monerentque simul; *ne inermis Samueli multitudine armatorum stipato ſē ſē obiiceret: de fide sua interim nequicquam dubitaret.* Haec molimina vt Rex animaduertit, cum in Austria, vbi fe Petrus tenebat, tum in Carinthiam, vt praetori male faceret, excurrit; sed populandi magis, quam iusti more belli. Qua ex re accidit, vt male multato Aba, praeda omnis reciperetur. Nihiloſecius Caesar, ne cupidio laceſſendi fines Romani Imperii Hungarum denuo inceſſeret, vt Adalberti, suasque iniurias vlcisci; ſic Petrum ſumma vi reducendum statuit. Trahuntur in hoſticum copiae: caſtra ad Arabonem collocantur: occurritur ab Hungariſ in tempore. Postquam quieti nonnihil datum eſt, vtrinque ſigna tandem confeſſuntur non minori animo, quam virtute. Aba victurus videbatur, ni fuorum plerique, ad hoſtem transfügiffent; acies praeterea ventorum vi turbaretur. His rebus ad extreſum ſuperatus, ad Tibifcum fuga elabitur; vbi dum bello instaurando incumbit, fidem ſuo-

1044

suorum nequicquam inuocans, ab iis, quorum propinquos interfecerat, confoditur. Infauta haec fata cecinit, vt vates, triennio ante Gerardus, praeful Csanadiensis. Sublato tali modo, religionis aequitatisque hoste Aba, voluntate Hungarorum, et virtute Caesaris imperat.

PETRVS ITERVM REX. Verum in- 1045  
tra breue tempus solita rursus prorum-  
pere diffidia. Rex metu rerum ad irri-  
tum cadentium perculsus, Henricum in  
Hungariam deuocat, et postquam aduenis-  
set, se, regnumque suum Caesari tradit.  
Quod factum, accidente priore feritate,  
successu felicitatis accensa, tantopere ani-  
mos Hungarorum offendit; vt de Re-  
ge nouo quaerendo consilia agitarent, se-  
creta aestimatione pensantes, quid ultra,  
quam quod fecerit, nisi vt deleret Hun-  
gariam, facturum hostiliter. Ad Andream,  
ex progenie Stephani, in Russia Rubra  
tum commorante, plurimorum accede-  
bant studia. Proinde, et si plerique ea  
de causa crudelissime enecati sunt, ma-  
gna Procerum multitudo Chanadinum  
conuenit; et postquam visum est uni-  
versis Petro rursus abrogare imperium,  
missi sunt in Russiam, qui Andream ad  
republicam capeſſendam inuitarent. Non  
acrediditis primo, tum postquam fides  
facta est, in Hungariam perfertur, et ne-

quid discordiae, vel turbarum, intercapidine temporis exoriretur extemps corona redimitum regem proclaimant. Eo auditio Petrus, quod se vim infidiasque euitaturum diffidebat, relicta Alba, in Austria fuga elabi contendit: venit tamen, et si apud villam Zamur fortiter se defendebat, in coniuratorum potestatem, a quibus luminibus oculorum priuatus, quo dolore insequenti anno obiit, sepultus Albae.\*

1046 ANDREAS I. postquam in regali folio resedit, quod impedire non potuit, Leuenta auctore, permisit in quosdam antistites, velut malorum, quae Petri ferocitate et lasciuia rempublicam adfixerunt, auctores grauius animaduersti. Tanta rabies ea indulgentia feros invaserat animos, ut specie, publicas vlciscendi iniurias, omne Christianorum nomen in Hungaria delere, et barbaram maiorum superstitionem restituere intenderent, quibus Vatha antesignanum se praebuit. Non erat satis passim locorum templa demoliri; Pontifices, in his Gerardum, sacerdotesque occidere, sacra profanare: iam aruspices, more antiquo consuli, Mars, Hercules caeteraque numina deorum

---

\* De Petro et Aba vide praeter Thurocziun, ALOLDVM, MARIAN. SCOTVM. et LAMBERTVM SCHAFN.

rum innocari, varia incantationum genera adhiberi coepta sunt. Janus, filius Vathae, Pythia Rasdi vtebatur, a Bela tandem extrema fame enecta. Cum hoc modo ad superstitionem humanarum mentium reuoluebatur Hungaria, falsaque religione alligabatur: concitator seditionis Leuenta morte occubuit, quem maxime pertimuit Rex, ne, si quid ipse eorum, quae siebant, vetaret, hic populi fauore regnum appeteret. Eo extincto, simul rem diuinam, simul concussam, diffensione priuatorum rempublicam, ut in pristinum florem restitueret, dedit operam, legesque, vt id fieret, communi auctoritate sanxit, ac in Petri imprimis interfactores seuere animaduertit. Nihilominus Henricus Imperator,<sup>1047</sup> et Petri necem, et sibi regnum vindicaturus, Hungariae bellum minabatur, frustra Rege, per legatos excusante se adactum imperare, parricidas partim morte multasse, alios, si Caesari placeret, omni suppicio excruiciandos dediturum; sed nec ab annuo censu abhorrere. Postquam eo rerum ventum est, vt, cum animi reconciliari non possent, exercitus in Hungaros duceretur, praemissi sunt, cum parte copiarum, Conradus, Dux<sup>1049</sup> Bauariae, et Adalbertus Austriae Marchio, qui Hainburgum ciuilibus dirutum turbis, opere militari cingunt, et

quoad eius fieri potuit, strenue reparant, firmum in hostico pedem fixuri. Insecutus est Caesar cum ingenti armatorum multitudine, castraque ad Posonium mox operibus claudendum, posuit. Verum quod Hungari, qua hostem profecturum senserant, pabula corruperant, et pecora in opacas, et inuias adegerant silvas, penuria rerum adactus, infectis rebus, vnde venerat, rediit. Hungari simul ac castra hostes retro mouisse comperiunt, instar victorum inseguuntur, Austriamque incredibili celeritate peruagati, praedas spe ditiores potiuntur, et rerum successu illecti, Morauiam quoque populantur. Rex, qui ad summanum rei minus id, ac plebes existimabat, conferre intellexit, armis diffusus, pacis conditiones obtulit, quas si, Caesar accepisset, Hungaria tum quidem stipendiaria facta fuisset. At hic nihil minus, quam pacem, eo tempore cupiebat. Nam adscito in societatem armorum Bretislao, Bohemorum Duce, pergebat porro in agrum, ultra Arabonem, exercitum inducere: Welfoni praefecto mandabat, quo citeriorem occuparet, et, si qua se occasio offerret, vastaret quoque prouinciam. Milites officio defuncturi, ne sibi praeterea deesse viderentur, cum magna trepidatione agrestium, populantur adeo, ut tumultus ex agris repens in urbes et vicos

vicos illatus, pro nuncio fortunae ad-  
 versae cunctis fieret. Ad Granuam iam  
 penetrarant aduersarii. Eberhardus, p<sup>r</sup>aef- 1051  
 sul Ratisbonensium, naues frumentarias  
 ad Posonium, vel Iaurinum adpulit. An-  
 dreas desperata pace, quam per suos im-  
 petrari posse crediderat, resistendum ho-  
 sti, et vim vi repellendam intendit ani-  
 mum. Cum viribus non satis valeret,  
 stratagematis vtendum existimabat. Erat  
 tum in Hungaria percelebris virinator,  
 nomine Zothmundus. Huic negotium  
 dedit Rex, annonam, quae Danubio de-  
 vincta erat, perdendi, multa pollicitus, si  
 id arte sua efficere posset. Hic et Regis  
 adhortatione, et spe praemii excitatus,  
 adulta nocte Danubium subiit, nauesque 8701  
 hostium onerarias perforatas ante aquis  
 mergit, quam opinari quisquam poterat.  
 Caesar commeatus iacturam edocitus, quod  
 non esset, vnde subito defectus sarciri  
 posset; Andreas praeterea cum copiis ad-  
 ventare dicebatur : referre se actutum in-  
 stituerat, satius dicens nulla laude, at-  
 que cum summo incommodo ire retro.  
 Hungarus haec euentura coniectans, va-  
 da, et viarum angustias praeoccupabat,  
 itaque circumueniebat hostem, vt parum  
 abfuerit, quin ipsum Caesarem intercipe-  
 ret. Consilio tandem et opera Leonis 1052  
 Pontificis Romani, de funesta vtrique par-  
 ti contentione destitere principes. Fides

futuræ amicitiae fæcita est, desponsa  
 Salomoni admodum puerō, sobole Cae-  
 1055 saria, nomine Sophia. Stabilitis lauda-  
 biliter in occidente rebus, cum Cresimi-  
 ro Croatiae atque Dalmatiae Rege, ve-  
 teres intercesserunt inimicitiae limitum  
 causa, quae virtute Radonis, praefecti  
 praetorio, dirematae sunt ita, ut *Dalmata*  
*bello vicitus, Croatia omni Interamnana cede-*  
*ret.* Postquam tandem Hungariae quies-  
 reddita est, Andreas morbo et aetate  
 grauis, filio, regnoque suo in tempore,  
 ut putabat, consulturus, Salomoni an-  
 num septimum ingresso, coronam impo-  
 suit: quo initium factum est simultatum  
 fraternalum, factiosis iam Andreae, iam  
 1058 Belae animum vellicantibus. Ac iste  
 quidem, et si tertiam Hungariae partem,  
 Ducis nomine, a fratre acceperat regun-  
 dam, indigne tulisse fertur, regnum pue-  
 rō potius, regimine et cura aliorum in-  
 digenti, quam sibi de patria optime me-  
 rito deferri. Ut erant, qui aures Be-  
 lae intempesta suasione occuparent; sic  
 Rex ipse huius non erat expers pe-  
 riculi. Iam fere palam ferebatur, Be-  
 lam regni temere adflectari reum, plura  
 occipere, ac priuatum oporteret, suaque  
 publicis anteferre commoda. De quibus,  
 quod diuersi detulerant, nec credendum  
 facile, nec etiam negligendum Rex pu-  
 tauit. Experiri tandem volebat, ve-  
 rum

rum, falsumne esset relatum. Fratrem ad-  
 uocat, simulans se poenitidine agi rerum  
 praeteritarum; integrum esse coronam, vel gla-  
 dium (in conspectu erat vtrumque digni-  
 tatis insigne) eligere, sibi, quod libuerit,  
 probatum iri: modo ne, ubi ipse fatis functus  
 fuerit, ex se nato periculum eueniret, quod  
 nunc pertimesceret. Bela satis gnarus pro-  
 fessioni bonaे voluntatis fraudem inesse,  
 gladium, qui proximior erat, velut haes-  
 titanti, quod ratio subito non posset, for-  
 tunam consilium subministraret, corripuit;  
 testatus publice ducis potestate se, dum  
 viueret, contentum fore, nec ultra an-  
 helaturum. Cognito interim infidias sibi  
 parari, ad Boleslaum in Poloniam proue-  
 hitur: huius enim fidem tutiorem, ac fra-  
 tris existimabat. Queritur heic iniurias,  
 opemque a suis exagitatus, poscit alien-  
 am, quam haud difficulter impetrat.  
 Dum Bela apud exterios rerum satagit,  
 Hungari, omisso externo hoste in mutu-  
 um exitium bellum reparant. At dum  
 ille patriae peregrinas admouet copias,  
 ciuium in se conuertit animos male feren-  
 tium, Rege aetate confecto, ab imperitis,  
 inflatisque, et auaris rempublicam admi-  
 nistrari. Andreas comperto, quid aduer-  
 sarii moliantur, his auertendis opem apud  
 Henricum quaerit, obtestans, ne se opis  
 egentem hac rerum facie desiliuat, neu re-  
 gnum proli suae indigne eripi patiatur. Aequa,  
1059  
1801  
1060  
 vt

vt credebatur, postulanti repulsa data non est: sed contra ingentes latae suppetiae. Ventum ad manus. Andreas praelio superabat, vici setque sine dubio, ni ex suis plurimi, abiecta fide, vexilla deseruerentur. Turbatis eo modo ordinibus, subito fortuna conuersa est, vt qui ante victores se gererent, nunc iam vel caderentur, vel in hostium venirent potestatem, paucos fuga periculo eriperet. Rex ipse vulneratus dum ex acie excederet, apud Mossonium intercipitur, et postquam in villa quadam Bakonensi aliquamdiu egerat, diem obiit supremum, sepultus in coenobio S. Anniani. \*

1061 BELA I. *alio nomine Adalbertus*, patria lingua *Benyn*, ne regnum industria quae situm, cunctatione amitteret, confessim a pugna, Boleslao cum armatis, honoris et praefidii causa comitante, Albanam in urbem victor procedit, sumptaque illic veste regia, postquam Polonum haud secus, ac par erat, muneribus ornatum a se dimiserat, nihil aequa laborauit, sicuti ut quassam rem publicam in pristinum restitueret; amareturque potius, ac timetur. Non ignarus in primis et multos pro-  
ce-

---

\* HERMANNVS CONTRACTVS, ALOLDVS, LAMBERTVS SCHAFN. ad an.  
1047. seqq. THVROCZIVS part. 2. c. 42. 43.

cerum, et populum multitudine tributorum, atque exhaustis patriae rebus graui-  
ter offendit, gratiam liberalitate, curaque  
publici commodi capere nitebatur. Men-  
te ea tributuum, qui ante se acerbissimi  
erant, rationem leuauit, in re numaria  
multa noua attulit, et facto rerum pre-  
tio, vt otium labore interpellaret, po-  
pulum summa industria agros colere im-  
perauit. Quibus institutis velut pruden-  
tiae, non minus benevolentiae laudem si-  
bi conciliauit; vt perplurimi Hungarorum  
cum Salomone extores, tantae virtutis  
fama exciti, in patriam redirent, qui re-  
cepti in fidem, honore, quem antea ob-  
tinuerant, habebantur, Nihilominus e-  
rant, qui exstimarent, Belam potentiam  
flagitio quaesitam, in caput multorum e-  
xercere insontium, cum primis vero in  
contemptum auitae religionis. Cum ita-  
que Rex Albam comitia indiceret, de sa-  
lute patriae in medium consulturus, iu-  
beretque ex singulis vicis binos, caete-  
ris prudentia et dexteritate insigniores  
adefse: maior voto, vel opinione, ex  
omnibus locis, multitudo conuenerat,  
per seditionem poscentium maiorum sa-  
cra postliminio sibi reddi, christiana e con-  
trario nuper innecta tolli e finibus. Vi-  
debatur ultima vis parari, si preces de-  
spicerentur. Rex improuiso tumultu non-  
nihil motus, vt in re trepida confilii fa-  
ceret

ceret copiam, breui oratione animos mitigat, pollicitus tantae rei grauitatem secreta aestimatione, cum amicis, pensaturum, ac triduum intra, quae sua, senatusque Hungarici esset sententia, ad populum relaturum: dat interea clam negotium, qui fide praecipua, habilesque militiae, et ad omnia parati erant, vt, quod imperaretur, ad nutum exsequerentur. Adeo postridie magna populi frequentia, agresti clamore, & inurbana seueritate vrget magis, ac rogat, quo senatus consultum ad voluntatem fiat; minatur dilationem ultra hanc laturam. Interim ex composito armatis circumdatur legionibus. Quo facto plebes seditiosa, in variis voluntatibus, communi tamen metu cogente, silentium tenet, iam sustinere, quam inferre vim audentior. Tandem signo militi dato, in primis, qui ferocissime oblocuti sunt, trucidantur; alii periculi magnitudine perculsi, vel gratiam, vel loca tuta, qua elabi poterant, petere. Rex propulso ex vrbe seditionis globo, tranquiliorem fecit rem publicam; et ne qua vis, par huic, olim existeret, seuere, commendat Antistitibus, plebem meliore ut imbueret disciplina. Atque ita demum, adgressus tempestiuis temporib[us], rem prope collapsam restituit. Dum ergo nihil iam esset, quod domi timeretur, ad Salomonem, qui in

Au-

Austriam profugerat, opprimendum, prae- 1062  
 uerti optimum ratus, equestris copias e-  
 ducit. Verum obstitit conatibus Ernestus  
 Marchio, qui ad arcendam vim armatus  
 occurrerat. Bela infecta re in Hungariam  
 reuersus, cum ius, in oppido Demes, di-  
 ceret, vel ruina domi obrutus, vel forte  
 de folio, quod fratri eripuisse videbatur,  
 lapsus decessit, relictis septem liberis,  
 ex quibus Geisa et Ladislaus postea re-  
 gnarunt. \*

SALOMO, Bela Zegzardi sepulto, 1063  
 ad imperium depositur, quod Geisa, si  
 pro dignitate sibi fratribusque viuere li-  
 cceret, parare se, quam imperare malle,  
 dictabat; certareque officiorum potius  
 generibus, ac armis. Quae vbi ad Hen-  
 ricum Caesarem perlata sunt, admiratus  
 iuuenum animi magnitudinem Salomona  
 in Hungariam, praesidio et magna pro-  
 cerum corona stipatum remisit; quo si-  
 mul ac peruenit, ne quid maiestati de-  
 esse videretur, vice altera diademate  
 insignitus est. Ut iam nihil minus, sicut  
 ira atque contentio, intra adprime re-  
 ste, quemadmodum apparebat, sibi con-  
 ciliatos exorsura videri potuerit: euenit  
 attamen. Geiza etenim, seu quod re-  
 gni

---

\* ALOLDVS ad an. 1062. THVROCZIVS  
 c. 45. 46.

gni amissum fera aestimatione perspexit, seu, quia promissa tibi, fratribusque suis, haud solui, indignabundus ferebat, ad Boleslalum conuenit, ab alienigena impetraturus, quod a suis non poterat. Salomo reputans, quid initio imperii sui scientissimi quique rerum suassent, ab offensa ut pote, et inimicitiis erga coniunctos abstineret, salubre quondam consilium, sero exsequi statuit. Sed res iam aliusmodi erat; ac putabat. Hungari enim, vt fama audiuerant, Geizam aduersus Salomonem ex Polonia ducere, ad eius societatem turmatim se adgregabant. Quo Rex periculo motus, ne fors grauius in se ab iratis ciuibus consuleretur, fuga praecipiti Ouarinum elabitur. Intercesserat tantae rerum calamitati Desiderius, praeful Iaurinen sis. Nihil hic, quod ad lenandas iniurias pertinere videbatur, non suscep erat. Iam hos, iam illos hor tabatur, *utrinque debere iracundiam patriae dimittere, nec adeo priuatis necessitatibus studere, vt, cum has sectentur, reipublicae no ceant.* Geisa suo, fratrumque nomine, se paratum ad omnia descendere ostendit, dummodo, quae sibi iam olim tradita erat pars regni tertia, iurando fanciretur. Id vbi negatum non est, Dux mag nu sua capiti Salomonis insigne regium Quinqueeclesiis imposuerat, quo facilius inusitata hac caerimonia, ad omnes fama

fama perueniret, se fratresque suos Salomonis regnum publice deferre. Postridie, quam id factum est, templum, ubi rex inauguratus erat, incendio conflagravit, quod omen infaustum omnibus visum.

Cumani interim per has ciuiles dissensiones, ut incerta Bohemorum, et Croatarum bella praeteream, ex Transilvania in fines Hungariae Tibissanae hostiliter incursionem faciunt. Raptim contra hos ductae legiones, in agris palantes oppressere, ademtis, quas inique extorserant, manubiis. Geisae in primis, et Ladislai virtus bellica hoc in praelio suspiciebatur, insolentius a vulgo praedicata, quam ut Rex aequo ferre potuisset animo: neque tamen non patiebatur, quia bello, quod suscepérat, idoneos putabat. Moesi quippe ad Drauum praedabundi incesserant, multo abacto pecore: legatosque Hungarorum res repetentes inanes remiserant. Nostri ut ius armis vindicarent, Taurunum, quod Beogradum dicimus, situ et opere munitum, quod hostis in campo potestatem sui non ficeret, oppugnare instituerunt. Diu ancipiti pugnabant fortuna; plus tamen cladium accipiebant hostes, ac inferebant. Forte euenit tandem, ut puella quaedam seruitutem pertaesā, ignem tectis iniiceret, et vrbis nobilissimae, ignobilis ipsa, ex-

1073

cidiī initium faceret. Multo ligno aedificata erat ciuitas, quae celeriter flamma concepta, late fundebat incendium, quod, priusquam accurri posset, turres et reliqua opera comprehendebat. Oppidorum plurimi incendio hauriebantur, alii ad summam desperationem adducti, omis-  
 sis armis, aut mortem suam miserebantur, aut coniuges liberosque commendabant, si quos ex eo periculo fortuna seruare potuisset. Cum ita plena essent omnia timoris, atque extremae desperationis: oppugnatores, perfracto vallo, urbem gressi, qui in arcem derepente profugere nequibant, interficiunt, et mox castro potiuntur, cum diuite praeda, magnarum postea calamitatum occasione: haec enim suspicione initii perniciabilis praebuit consilio. Nam cum ex opimis spoliis primas partes Rex sumit, quarta nonnisi Duci concessa; Geisa vero hac re vehementer se offendit existimat: ad aestimandam vtriusque fidem, intercedit Vitus quidam, homo priuatae, quam publicae rei studior, qui nulla non arte conatur persuadere, Geisam cum Ladislao, cum haberent maximam opinionem virtutis, re-  
 1074 gnum affectare. Recruduit ea re soperatus dolor. Rex vtrumque arcessi iubet, praetexens opera eorum se usurpare autem vera, quo ambos simulata comprehendenderet amicitia. Geisa fratrem, cum quo

quo omnem fortunae sortem immiscerit,  
 insidias, ut res ipsa erat, suspiciatus, in  
 vicinia cum armatis, consistere iubet, in-  
 tentumque atque paratum, si qua forsitan  
 vis sibi a Regiis immineret. Salomo rei  
 nouitate et insolentia perculsus, ne tu-  
 multuoso nuncio miles concitaretur, et,  
 quod aliis pararet, ipse subiret periculum,  
 quaedam amice collocutus, quem iam  
 neci destinarat, incolumem a se dimittit.  
 Proceres, data spei reconciliationis occa-  
 sione, accedunt; et cum Regem, tum  
 Duces, ut possunt, maxime deprecantur,  
*finem inimicitiarum, suspicionumque facerent,*  
*omniumue memoriam deponerent offendarum;*  
*sua, quam, qui utrinque auribus seruirent,*  
*salubriora consilia futura: saltem ne quid detri-*  
*menti respublica, diuerso animorum studio,*  
*caperet, quinque mensum inducias pacifceren-*  
*tur.* Quo sapienti patrum conscriptorum  
 interuentu factum est; ut matura iam se-  
 ditio: ad prope erumpens reprimeretur.  
 Nec tamen gratia, inter principes, ita est  
 composita; ut voluntatem Regis Geisa  
 prorsus recuperaret. Ne qua ergo vis  
 repentina existeret; neu se minus bene  
 a copiis instructum oppimeret: Ladisla-  
 um, auxiliorum gratia, in Russiam mittit;  
 de quibus cum heic quidem nihil impetra-  
 tum est, ad Ottonem, Morauiae regulum.  
 Salomo de his vbi cognouit, ad Geisae

perniciem a latere quoque eius pecunia  
follicitat. Reperti, qui promissis vena-  
lem offerrent fidem. Agendae rei tem-  
pus constituitur, cum Dux venandi cau-  
sa in nemus secederet, ne, cognita cae-  
de, si non indignatio animorum, sed ta-  
men seditio comprimeretur. Vilermus  
interim Abbas, in caput Geisae praepa-  
ratas insidias compererat, quas ille, sine  
cunctatione, detexit. Cum tamen minus,  
quam vellet, Dux moueretur, oratione  
periculi admonet. Postquam, quae no-  
scenda erant, ordine audita sunt, ani-  
maduertit Geisa nusquam alibi spem, quam  
in virtute, armisque ponendam. Ut si-  
mulatio amicitiae, in externa odia eru-  
perat, ad Tibiscum hostili concurritur a-  
nimo. Quamquam vero Dux omnia,  
quae arte belli, secunda suis eligi praepa-  
parrique poterant, circumspexit: non ta-  
men aduersariorum sustinuit aciem. Nam  
milites Regis sui fauore accensi, prioris  
sacramenti religionem, amori hominis  
priuati praeferentes, ad Salomona signa  
transferunt. Verum Geisa non virtute  
hostium, sed suorum perfidia se victum e-  
xistimans, dum milites a Morauo acce-  
perat, Ladislai oratione incitatus, mo-  
mentis, ne ea. quae accidissent, grauier fer-  
ret, neu communi belli casu terreretur; se spe-  
cie angusta monium dicere, regnum ei por-  
ten.

*tendi*, praelio ad Vaciam (nam eo, secundis licet rebus, auditio Morauorum aduentu, regii signa retulere) contendere gestiuit. Pugna fit vtrinque vehemens; quod hinc conscientia contracti culpa periculi; illinc rerum fiducia ad manus ventum erat. Salomo non minori fortunae impetu nunc desertus, atque sublatus olim, ad Quaratum versus fugam petebat; dum alii aliam in partem perterriti ferebantur. Difficile ad fidem est, quod narratur, adfirmare, vbi acrius, quam ferre poffet, mater increpuiffet, ora voluifce, commentari: id fatis fit, ab hoc vestigio temporis regnare defiſſe. \*

GEISA I. rerum gestarum gloria insiguis, exercitus vniuersi, populique conclamatione Albae Rex consuluntur. Postquam ita se salutari paffus est, caeteros ante Henrici Imperatoris iram concuerat, cum legatorum, quos Salomo ad opem petendam misit, promissis (annuum recipiebant tributum) tum affinitatis vinculo moti. Geisa vt hostem penuria potius, quam ferro supperaret,

M 3

quid-

---

\* ALOLDVS ad annum 1063. THVRO.  
CZIVS c. 44. 55. BONFINIVS Dec.  
2. l. 3.

quidquid usui esse poterat, corruptit. Atque consecutus omnino est tam callido consilio, ut Caesar, rebus desperatis, remearet. Ladislaus Salomonem Posonii armis obsidente, graues simultates, Gregorium inter Pontificem Romanum, atque Geisam, ob regis titulum, quem ille huic negabat, intercefferant. Hic nihilominus magna erat spe bene administrandi regni, nec minore aduersus DEVVM pietate. Vaciae, quo loco victoria potitus erat, aedem splendido opere constituit, Budensemque a S. Stephano aedificari coeptam consummauit, ditibusque ornauit redditibus. Et hoc quidem, ut partim famae, conscientiae partim confiseret, fecisse putabatur. Attamen angi ad ultimum animo coepit, quod viuo Salomone Regem se concupuerit, dominatumque imperio tenuerit. Atque instituerat omnino de regali purpura redenda agere, dum mors consiliis temere, an prudenter initis, anteuerertit. Postquam morbo obiit, ut viuus mandarat, Vaciae tumulo contectus est. \*

LA-

---

\* LAMBERTVS SCHAFN. ad Jan. 1074.  
THVROCZ. c. 53. seqq.

LADISLAVS I. in locum mortui 1077  
fratris, procerum voluntate succeſſerat;  
qualis futurus effet initio regni, quod a  
modestia et pietate coepit, ostenderat.  
Quippe etſi administranda reipublicae cu-  
ram, ne ſibi, neu patriae deeffe videre-  
tur, fuſcepit: nec tamen vel insignia im-  
peratoris sumfit, vel ſe Regem, viuo  
Salomone, appellari paſſus eſt. Primo-  
res tamen vim adferre rei ſua ſponte  
mox venturae cogitabant. Salomona e- 1080  
tenim, qua precibus, qua minis eo de-  
ſtinationis perduxere, vt Ladislao volens  
regnum cederet, potestate regio appara-  
tu vtendi ſibi feruata. At hic quidem, haud  
longo interiecto tempore aperuit, non  
tam vtilitati communi, hac in re, quam  
necessitati, quam eludere non potuit,  
paruifet, malleque imperare, quam pri-  
uatam agere vitam. Infidias specie col-  
loquii Ladislao parabat, quibus detectis,  
hic consensu principum Hungariae, Re-  
gem arctiflma custodia Viffegradi feruari 1082  
rubit: ſoluit tandem vinculis, ammonitu  
virginis sacrae, cui nomen Charitas erat,  
et liberum, quo ire vellet, permittit.  
Salomo beneficium iniuriam interpretatus,  
ad Kuteskium, Cumanorum regulum, 1084  
eius fidem cognati anteferebat, decur-  
rit, auxilium implorat, oblata in Tran-  
ſiluania, inter fines Carpati montis, in

praemium latae opis prouincia. Barba-  
rus occasionem nouarum rerum cupidio-  
re, quam offerebatur, animo arripuit,  
et inconditam suorum multitudinem in  
agrum Marmarus intulit, effusa po-  
pulatione, ni contineretur, Hungariam  
ad obsequium extorris molitus reducere.  
Ladislaus post famam aduentantis Molda-  
uici exercitus, moram nullam fecit,  
quin hostem finibus arceret. Initio pro-  
cursationes, leviaque certamina, va-  
rio euentu inita: mox descensum in a-  
ciem, signisque collatis, iusto praelio  
pugnatum, quo Hungarus, etsi multitu-  
dine exercitus superabatur, Cumanum  
fusum fugatumque omni regione depellit.

1085 Salomo quasi damnis suis sociorumque  
audacior redditus, ac velut par viribus,  
in Bulgaros et Graecos arma vertit, ra-  
tus his deuictis se suminam in spem regni  
obtinendi, per Cumanos tamen suos; ve-  
nire posse, bello intestinae discordiae in  
Hungaria vigente. Sed quemadmodum  
ad ludibrium tantum fortunae natus es-  
set, nec propter aliud bellum cieret,  
quam vt vinceretur adeo infeliciter de-  
pugnauit; vt vix cum paucis fuga se pe-  
riculo subduceret. Post haec velut for-  
tis eum suae puderet, relicta mortalium  
confortione, in solitudine degere coe-  
pit, vili cultu vitam tolerans, incerto  
de-

demum, vbi viuere desiit, sepultus loco. Ladislaus contra magna iustitiae et sanctitatis fama Hungaris imperabat, pari felicitate. Namque Suoinimiro, sine haerede fatis erepto, dum Dalmatae et Croatae, exitiabili seditione acti, vires suas in perniciem suam conuerterent, ad eripiendam calamitatem patriam, ab nonnullis inuitatus, primum terram a Drauo flumine ad alpes occupat, tum has transgressus, Croatiam Mediterraneam, Slavoniāmque, cum iure affinitatis, armorumque, tum voluntate sponte sese deditum imperio suo subiicit, Almoque nepotī Belae Regis, vicaria potestate regendam tradit, monens; *vt, quae ipse non potuisset, sapienter constitueret, vbi Cumanam oppresserit temeritatem* (hi enim magnam Transilvaniae partem diripuerant) *nec consilio, nec potestate, si opus fuerit, defuturum.* Ita rebus Croatiae compositis, victorem exercitum, trajecto celeriter Danubio, magnis itineribus, ad Temesi ostia transducere maturabat: fama quippe erat eo locorum praedabundam confessisse multitudinem. In hanc ille securam vitae, spoliisque laetam ante impetum dedit, quam vel aduentare cognosceretur; deleuitque ad internacionem, *vt, si credere fas est, praeter vnum, qui cladem suis nunciaret, euaderet nemo.* Capti-

ui, quorum ingens erat numerus, e seruitio expediebantur, vt primum se nomen CHRISTO datus spondebant. Senatus populusque Cumanus, in Moldavia, cum religionis suae contemtu, tum caede sociorum, p[ro]ae indignatione irabiem versus, ad armandam inuentum, in omnes terrae suae fines, mandata mittit; quin seniores quoque, quibus aliquid roboris superesset, in verba sua iuratos centuriat; et sic contracto immanni exercitu, extremam perniciem Hungariae minatur. Sed nec Ladislao vel animus, vel industria in propulsando bello defuit: in hoc infelix videri esse potuit, quod id loci confederat, vbi commeatu interclusus, miles inedia labore cooperat. Verum vt plurima alia, sic inopiae quoque huius modum pietas Regis verterat. Aiunt enim precibus a Deo greges bubalorum ceruorumque impetrasse, qui caeco quodam impetu castris illati: carne sua esfuriensi vulgo militari famem depulerint. Postquam ita miles corpus cibo curarat, fiducia rerum bene gerendarum impletus, in aciem deducitur: fit pugna atrocior magis, ac diuturnior: hostis namque, vbi vidit ducem suam telo Regis confossum ex equo defluxisse, sensim cedere, ordines laxare, ad extremum diuerfis

ueris agminibus fugere. Ladislaus aduersario procul a limitibus remoto, praefidiis locis idoneis constitutis, in urbem triumphans redit, duorum simul bellorum victor: et, ne defendere solum ciues suos videretur, sed iusto quoque et sapienti imperio regere; leges pro re nata condit, in fures praesertim seueras; pontificalem Zagrabiae, in Sclauonia, sedem constituit; rerumque sibi subditorum tanta fide et cura satagit, ut, ne sibi suisque deesse videretur, Romani Imperii dignitatem a principibus delatam, accipere nolle; prudenti consilio amplissimo regno, optimam conscientiam bene sapienterque administratae reipublicae antepponens. Ducem tamen profectionis in 1093 Palaestinam ulro sese praebuisset; ni, dum in bellum Bohemicum incumberet, 1096 morte occupatus, diem obiisset supremum. Quam carus fuerit Hungariae, ut plurimis documentis, ita ex eo animaduertas, quod Varadini sepultum, triennium luxerint, quem demum posteritas in diuorum adoptauit ordinem.\*

CO-

\* ORTILLO in Chron. ad an. 1134. seqq.  
ANNA COMMENA Alexiados l. 7. THV.  
ROCZIVS c. 56 - 59. BONFINIVS Dec.  
2. l. 4. Dissert. P. Pray de S. Ladislao, an.  
1774. edita.

COLOMANVS Geisae, Ladislai filium malunt alii, corpore, ut fertur hirtus atque horridus, ingenio saltem ad omnia versatilis, ex Polonia redux summam imperii accepit. Ex sacerdotio ad hanc euectum maiestatem retulerunt plerique; vnde patriis scriptoribus *Könyves Kálmány* appellatur. Bellum intra fines suos, cum a Petro quodam Croatiam invadente, tum a milite in Palestinam iusso proficisci, accepit. Utroque inimico singulari arte superato, postquam Bullionio, supremo expeditionis sacrae duci, veniam libere per prouincias suas proficiscendi dederat, Rogerii Siculo-rum Comitis, viri manu fortis, et consilii pleni filiam, solemnibus nuptiis sibi 1097 copulat. Fecerat id cum amore, tum spe firmandi imperii. Nihilo secius turbulentiora inde exceperunt tempora. Almus, quem, ut praedixi, Croatiae regulum Ladislaus dederat, quod sibi 1098 erexit putauit regni Hungariae im-perium cupidius appetebat, armis, quia voluntate ciuium non poterat, ad se pertracturus. Iam instructi ad Tibiscum vtrinque stabant exercitus, cum non nulli primorum in medium procedunt, dictantes, *e re Hungarica fore, si qua iniaretur via quo uter imperet, sine magna clade, sino multo sanguine populi, de-erni posset.* Haud displicet res Almo- spe

spe victoriae ferocienti. At Colomanus, quod sine dolo malo fasces acceperat, non satis dignum persona sua existimabat, in dubiam imperii seruitiique aleam ire. Controuerfia aequa pace finitur, vnde nihilominus detrimentum amissae Croatiae Maritimae acciderat; vt constaret dissensione priuata res publicas, vt plurimum labasci. Haud secundiore fortuna res aduersum Ruffos 1099 gesta est. Bellum cum his conflatum erat, nlli Cumanorum inueterata fuerint odia, incertum fere, quam potissimum ob caussam. Hungari quidem a primo mira felicitate adiuti sunt, vt Lanca, aduersariorum Regina, calamitatem a populo suo auersura, quo pacem exoraret, genibus Colomani aduolueretur. Hanc tamen quin superbissimis verbis, pro caetera asperitate animi, repellit, nec excubias, vt in hostico par erat, satis diligenter agi praecipit, infidiis circumuentus, maxima exercitus parte amissa, aegre manus spreti hostis euasit. Adeo nimirum periculosa res est, hostem nondum penitus victum contemnere, supplicibusque irasci. Colomanus 1100 vt domum reuertit iustitiae laude, ignominiam belli saturus legibus dicundis operam impendit. Et ab hoc vtique tempore fortuna vertit. Namque non solum Croatiam, quae defecerat, ad obse-

1102 obsequium reduxit; verum etiam Bosnia  
et Illyrico subactis, primus Hungarorum  
se Regem Ramae, Dalmatiaeque scri-  
psit. Hanc tamen Belli gloriam turpi  
facto maculauit. Cum enim a Venetis  
amisum Dalmatiae grauiter ferentibus,  
armis se petitum iri, nec ab Austria nu-  
per vexata, satis tutum fore videret:  
Almum fratrem, quem ob saepe adfe-  
ctatum imperium, caeteris omnibus ma-  
gis timebat, luminibus oculorum priuat,  
cum filio Bela, ne vel sibi, dum viue-  
ret, vel Stephano, quem Regem dixe-  
rat, potestatem haberet nocendi. Mo-  
riens filio praecepit, ne Russorum iniu-  
rias impunitas, multasque relinqueret,  
1115 neu Almo libertatem vnquam restitueret.  
Postquam celebri laesione vitam amise-  
rat, et si seditiosa plebe; honorificentis-  
fimo funere, ob res feliciter in Bosnia  
et Dalmatia gestas, in prisorum Regum  
monumenta infertur. \*

1115 STEPHANVS II. post occasum pa-  
tris, nomen Regis, alii imperium te-  
nuere. Fata scilicet tulerunt, vt tan-  
tisper tutela procerum res Hungarica  
et

---

\* BERNARD. THESAVRARIVS c. 10.  
ieqq. GAVFRID. MALATERRA l. 4. c.  
25. LVCIUS l. 3. c. 3. THVROC. c. 00.  
ieqq. Reu. BALTH. ADAM. KERCSE-  
LICH Notitiae p. 134. ieqq.

et regnum auitum paternumque puero staret, initio turbulentum non minus, ac difficile. Origo turbatae reipublicae in Dalmatia extitit. Quaeſtor Croatiae Spalatum clam furtimque, quod nec oratione conciliari, nec aperta vi cogi in obsequium Hungarorum, etſi turrim proximam tenebant, potuit, occupare moliebatur. Obſtitit ſumma industria Adrianus vrbis Praefectus, et velut ſubeuntes Hungaros, infidii ſecuriores concidit; ſic turrim, quam praefidio tenebant, igni concremavit. Quae res Venetis aduersus Stephanum occaſionem mouendi belli dedit, quo primum iſulas maris Adriatici, tum loca maritima, poſtremo Dalmatiā omnem, au-xilio cum Rōmani, tum Graiorum Imperatoris potiuntur, Duce Croatiae (Banum nostri nominant) acri ſuperato certamine. Vineunt quidem altera <sup>1117</sup> proelii congreſſione Hungari, ſed, cum Ordephalus, princeps Venetarum, lancea ictus occubuerit: tamen praeter victoriae decus, nihil praeterea compen-difaciunt. Tum in Aūſtrios verſum bel-lum; vbi tamen effuse vaſtantium im-petum repreſſit Leopoldus Marchio, non oſtenſo priuſ bello, quam coactus intulerat. Agri potiſſimum Sopronien-fes hac percuſatione peruaſati ſunt, et Caſtrum - Ferreum incendio foeda-tum.

tum. Ut satis haec solicitum haberent Stephanum, iustae iam ac legitimae aetatis: accidit tamen, ut ob haereditatum in Almum odium, qui ad Graecos profugerat, ad orientem versus arma

1123 moueri debuerint. Diu in ambiguo alea fortunae stetit: dum pertaefus vterque calamitatem, amicitiam reconciliarent ad defensionem regnorum suorum pertinentem; Caesar sigillatim sponderet classe Hungaros, si in Dalmatia vis existeret, adiuturum. Sapienter et magno reipublicae commodo haec pactum fuisse Regem, quae paullo post euenerre, ostenderunt. Lis enim inter nostros atque Venetos, male ante sopita recru-  
duit, ac in apertam vim erupit. Hi Sy-  
riaco impliciti erant bello, pauciores in  
Dalmatia, praesidiorum cauta, relictae  
erant copiae, quam ut his regio defen-  
di posset. Quocirca non erat difficile  
Hungaris, nauibus Graeciae maritimas  
vrbes infestantibus, omni prouincia ad-  
uersarios eiicere; si Iadram excipias,  
quae capi non potuit. Stephanus Belo-  
gradum Dalmatiae ingressus, more pa-  
trio titulum Dalmatiae Croatiaeque Re-

1124 gis accepit. Sub idem tempus Cumani, qui rebellione facta ducem suum pere-  
merant, in fidem suscepis, ditissimos intra Tibiscum et Danubium agros, non sine inuidia suorum ditribuit. Ita

cum

cum armorum, tum clementiae laude,  
 vbi plerosque inter omnes inclarescit,  
 a Bezeno Russorum regulo, a fratre  
 dignitate orbato, multis precibus exo-  
 ratur, quo sibi opem ferat. Rex non  
 tam animo supplicem iuuandi, quam  
 paternas vlciscendi iniurias, ingenti  
 coacto exercitu, in Ruthenos profi-  
 cescitur. Roxia vrbs erat, quam pri-  
 mo occupare instituerat. Hanc vt co-  
 rона valloque circumdederat, et iam  
 muri arietum pulsū hiarent: eruptione  
 ex oppido facta, Bezenus cauffa et  
 concitator belli, ferro confosus occu-  
 buit. Rex casu eo secus quam par-  
 erat, motus assultum in vrbem fieri  
 imperat, renuentibusque mortem inter-  
 minatur. At purpuratorum plerique,  
 in his Cosmas, genere Paznamio cla-  
 rus monere, *vt, quando semen, et titu-*  
*lus inimicitarum remota sunt, urbi, suo-*  
*rumque periculo parceret.* At cum ora-  
 tione Regem parum moueri videbant,  
 sed in sententia cunctis oppido noxia  
 manere: cooperunt apud vulgus mili-  
 tum agere varie, et rogando alter-  
 nis suadendoque id effecerunt; *vt,*  
*Quoniam magna pars exercitus ab si-*  
*gnis discederet, nulla gloria, maxima*  
*indignatione rediret.* Dum haec in  
 Russia fiunt, in finibus Bohemiae si-  
 multates, praedarum cauffa glisebant. **1126**

Quominus in flammarum bellum erumperent, Stephanus ad Sobieslaum Ducem Oleham in colloquium venerat, hostilitatis caussam, amica pactione sublaturus. Erat in eo comitatu Solthus quidam, homo ad fraudem acutus, qui alieno detimento fortunae suae inferuendum putabat. Ut erat vesana astutia, vtrumque Regem suspicionibus implet, persuadetque, *non simplici animo conuenisse, sed voluntate alter alterum praeoccupandi.* Res elata ad militem perfertur: oritur in castris tumultus, et cum inter se timent, arma vtrinque expediunt: fit pugna sine Duci- bus: primum Hungari loco mouentur, mox Bohemi, spoliis impliciti sternuntur. Caede peracta cognitum est, Solthi impostoris scelerati fraude rem in periculum esse adductam, cuius corpus omnium consensum, quando animum inter Hungaram Bohemamque rem ancipitem gesserat, passim distractum est, pace demum, legatorum opera confirmata. Stephanus seu pauore inopinatae rei perculsus, seu naturae morbo, Agriae non multo post correptus animam positurus videbatur. Interibi,

<sup>1127</sup> dum optimates de Saule, ex Sophia Sorore Regis generato substituendo consilia inter se agunt, Borsius et Ianus tyrannidem arripiunt, rati potentia pro*iure,*

iure, in tam turbido reipublicae statu se-  
se vti posse. Rex vt e morbo, citra  
omnium spem, conualuit, illum capite,  
hunc exilio multauit: et, quia ex prae-  
senti, de futura calamitate, nisi ipse de  
successore prouideret, callide coniectare  
potuit, Belam, quem pater excoecaue-  
rat, et ipse pridem fatis functum ratus,  
obliuione sepeliuerat, cum olim clam  
a nonnullis eductus erat, nunc iam pro-  
dire ausum, haeredem regni, consensu  
Hungariae procerum, scribit. Vix haec  
bono reipublicae constituerat, in multo  
periculoso rem, quam prior fuit, reci-  
derat morbum. Fama tenet auxisse non-  
nullos, specie summae devotionis, ma-  
nus genuaque indigne complexantium,  
ne, quod in Cumanos exercuerant ne-  
fas, sanitati restitutus puniret. Dece-  
dit viridi aetate, quum errores ineuntis  
adolescentiae virtutibus emendare stude-  
ret, cuius exangue corpus Varadini  
terra humatum est. \*

BELA II. quantum visu pessimus,  
tantum ratione et consilio optimus, a  
contrahenda cum potentibus viris affi-  
nitate, initium imperii fecit, consultum  
N 2 exi-

\* DANDVLVS in Annal. ad. an. 1115. seqq.  
IO. CINNAMVS Histor. l. . THVRO-  
CZIVS. c. 63. COSMAE CONTIN.

existimans regnum amicitia firmari. Namque ex sororibus vnam, Hedvigen, quod coniugii eius cupidus erat, Adalberto Marchioni Austriae; alteram nomine Adelhaidem, Sobieslao Bohemorum Principi nuptum; ipse Helenam Imperatoris Graeci filiam, vxorem ducit.  
1132  
 Stabilito sibi regno, nihil tulit indignius, quam quod in comitiis Varadinum indictis, se imprudente, in praetextos coecitatis suae auctores grauius sit animaduersum, probe gnarus, multos Innocentes pro noxiis capitum, exiliisque damnatos. Atque acciderat omnino ex ea severitate, exitiabilis Hungariae calamitas. Multos periculi sui, plures alienus terror abstulerat, nonnullos ira, suppliciorumque indignitas. Hi propemodum omnes, haud secus, ac inter eos conuenisset in Russiam transfugiunt, ad Borichium quendam, qui se Colomani filium ex pellice iactabat. Quantum in se erat, maluissent hunc, prae Bela, cuius atrocitatem timebant, regnare. Iam Polonos in consilii sui rationem pertraxerant. Rex eorum, quae inimici sui molirentur, haud rudis, antequam bellum commoueret, in frequenti procerum conuentu quaestionem haberi iubet: *Numne indubitatis indicium, et locupletissimis auctoribus explorari docerique posset, Borichium ex Colomanno Rege natum?* quod

quod non patuit. Hic interea, si non genere, saltem animo se Augustum esse, vt demonstraret, cum Polonis Russisque agrum Scepusiacum ingressus, iam minus vires ostentat, praesentiaque secum militantium, complures ex Hungaribus, ad societatem armorum adducit. Nec Bela praetermittit quicquam, quod ad propulsandam audaciam, ac defendendos ciues pertineret. Ab affine Austria suppetias, a Bohemo, vt in Poloniā a tergo impetus daret, impletat, ipse a fronte hostem instare paratus. Dum ita spe maior, viribus par aduersario videbatur, ipse legiones cum signis dicit, et ubi proprius ventum est, tanta arte aciem ordinat, vt ab ocularissimo instructa credi potuisset. Fit exemplo acris dimicatio, qua tanto plus valuerūt Hungari, quanto bonitate caussae hostes superabant. Poloni acie vici, quod Bohemi agros suos, et oppida, nullis defendantibus diriperent, ad patriam tutandam reuerterunt, sua prae aliis cariora reputantes. Tali modo Borichius iniusta cedere debuit contentione. Bela his rebus clarus, extremo tempore, in vitium temulentiae 1141 incidit, quo hydropem nactus, vitam finiuit, illatus Albano Regum monumento, tribus relicitis filiis, Geisa, Ladislao, et Stephano, filia una, nomine

Sophia Henrico, Conradi Imperatoris filio desponsa.\*

1142 GEISA II. maximus quidem natu,  
nec tamen satis maturus aëui, paternum  
obtinuit regnum. Exordium de republi-  
1143 ca bene merendi, ab euocandis Saxo-  
nibus ad Transylvanianam percoleundam  
fecit, maiora extemplo pace molitus-  
ni Borichius, de quo dictum est, ad  
belli curas animum auocasset. Is enim,  
vt erat imperii temere cupidus, Con-  
1145 rado Caesare, Vladislao Bohemo, et  
Henrico, Marchione Austriae, flebili  
querimonia in partes suas pertractis,  
de improuiso, Ratisboldi astu, Poso-  
nium intercipit. Id postquam Rex per-  
nuncios comperit, praemissio celeriter e-  
quitatu, ipse cum exercitu consequitur,  
1146 breuique hostes ad ditionem castri  
adducit. Et quia palam erat, Austria-  
cis copiis inimicitiam exercere Bori-  
chiuni, Marchioni bellum indicitur. Sic  
propinquitas non raro inimicitia permu-  
tatur! Res ad manus, pone Leitam  
amnem, venit, vbi Henricus acie in-  
ferior discesserat; quem Hungari, quia  
et caedes magna, et fuga effusa erat,  
cum multa populatione agrorum perse-  
cuti

\* OTTO FRISINGENSIS l. 7. c. 21. COS-  
MAE PRAG CONTINVAT. ad an. 113<sup>2</sup>,  
seqq. M. THVROCZIVS c. 64.

cuti fuit. Geisa, remoto uno ad 1147  
 uersariorum, Conradum Borichii factio-  
 ni non inimicum, infinitam multitudi-  
 nem, in bellum Saracenicum secum  
 per Hungariam, trahentem, quod armis  
 aggredi e re sua non putarat, huma-  
 nitate et eximia officii testificatione (re  
 in primis frumentaria copias adiuuerat)  
 adeo sibi deuinxerat; vt, quem ante  
 timuisse videretur, in eo iam maxi-  
 mam spem diuturnae amicitiae haberet.  
 Pari hospitalitate et studio Ludouicum  
 quoque Franciae Regem, in idem  
 bellum proficiscentem complexus est; a  
 quo sine dubio impetraffet, vt Bori-  
 chius, qui specie merendi stipendii,  
 in Hungaria factionem comparare vole-  
 bat, sibi deleretur; ni hic quidem, ce-  
 leri fuga, saluti suaे consuluisset.

Re cum inimicis, hoc modo com- 1148  
 posita, iam pubertatis annos egressus,  
 Minoslai, Russorum Principis filiam, no-  
 mine Euphrosinen, vxorem sibi adiun-  
 xerat; sacerumque postea, armis Lö-  
 domerii, Halliciae reguli imperium, a-  
 deo viriliter iuuit, vt, et si principio  
 res minus prospere succederet: tamen eo  
 vsque bellare non destitit, quoad hoste,  
 in pugna imperfecto, tranquilitati publi-  
 cae haud consuleret. Iam demum et 1151  
 hac parte aduersariorum pacata, totus

et mente, et animo in bellum Moesiacum, quoniam ita iure necessitudinis poscebant, institit. Caussa a Bochino, Seruiae principe, coniuncto Geisae, proficiscebatur. Hic enim nihil minus, quam impotentem Manuelis, Graecorum Imperatoris dominationem placide ferre poterat. Cum Belam affinem, tum Regem ipsum Geisam ad opem sibi feren-  
 dam solicitabat, modo affinitatis iura, modo spem haud dubiam obtinendae, opera sua, provinciae obtendens. Prae-  
 valuit ad extremum rationi amicorum persuasio: itur ad arma: fit bellum haud necessarium; quo tantum abest, ut no-  
 stri laudis plurimum, ut contra non-  
 nihil ignominiae (praeter alia captum Sirmium, et pars Hungariae Vltratibiscana perpopulata) consequuti sint; quod sine dubio ea propter patrii scriptores silentio transiuerent: at exposuit tanto verbosius *Cinnamus*, scriptor eiusdem aetatis. Hoc infortunium consecuta est  
 1154 fraterna diffensio. Nam cum Stephanus dignitate, quae erat post regiam maxima, contentus esse nollet, sed auctoribus nonnullis, sceptrum e manibus fratri cuperet eripere, nec id, detecto mature consilio, quiret adse- qui, poenam, quam meruerat, veritus, cum delecta Hungarorum manus ad Manuelem Graecorum Imperatorem trans-

transfugerat, cui hic Mariam, vt Hungaris malefaceret, collocauit. Maiora tamen, postero tempore, ac 1158 initio sperabantur, ex hac affinitate enata sunt mala. Stephanus vt erat animi inconstantis et inquieti, quandoquidem armis Graeciae desiderium potiundi Hungarici imperii nequedum lenire poterat, occidentis molem, si qua arte posset, sedibus suis excire, rebus suis opitulaturam cupiebat. Ex quo accidit, vt se ad Fridericum Caesarem, reliquo Bizantio, conferret, eumque de ope ferenda interpellaret. Ac impretrasset forsitan, ni Geisa legatos docendi caufsa, ad Caesarem misisset, qui vt cauffam perorarunt, effecere, vt Stephanus, re infecta, rediret in Graeciam, et amicitia Hungaros, inter, atque Germanos redintegraretur, milesque ad sopiendam Mediolanensem controuersiam, Imperatori a nostris daretur, qui demum magno erat usui. Inter haec Geisa in Lethalem implicitus morbum decepsit: Albae - Regiae, vt mos gentis erat, iusta persoluta 1161 sunt.\*

N 5

STE-

\* OTTO FRISING. de reb. gest. Frider. I. l. 1 c. 30, seqq. IO. CINNAMVS Histr. l. 3. THVROCZIVS c. 65, 66.

STEPHANVS III. adolescens admodum, regnum a patre proceribusque sibi traditum accepit, fortunatior futurus, quod si amicis caruisset. Stephanus quippe, et Ladislaus patrui, quibus velut immortale odium, cum Geisa fratre erat, contemtu aetatis; nouum principem Graiorum opibus inducti lacebant Manuel ipse, qui alterutrum horum, praetillo regnare cupiebat, vtrumque exelta sperare iubet. Hungaris denunciat, iniuste illos facere, quod viros generis sui, ab regni administratione prorsus excluderent, regiaque stirpi generatos minus suspicerent, quam qui nec auorum imaginibus, nec rerum a se gestarum gloria, quales Stephanii rectores essent, excellerent. Erant, quia tali persuasione in partes traherentur: alii pecunia oppugnabantur; caeteris denique omnibus arma primum eminus ostentabantur, mox, quia minis parum profectum erat, ad vastandam Hungariam vertebantur. Atque fatale omnino hoc malum cum regno, tum Regi ipsi erat. Hic enim cum resistendo non esset, inultos hostes extrema Imperii sui vastare pati debebat, atque postremo illud etiam, ut in locum suum patruus sufficeretur.

Hungaris constituitur; sed post semestris imperii spatium incertum, morbone functus, an insidiis perfidiaque interfactus, viuere desit, nulla alia re, quam titulo Regis Hungariae ad posteritatem memorabilis.

STEPHANVS IV. qui, vt supra di-<sup>1163</sup>  
xi, iam dudum cupidissime regnum appe-  
tebat, in solium ab Hungaris quibusdam  
euehitur. Nemini gratius id acciderat,  
atque Manuela, qui imperium si non  
Hungariae totius, saltem Dalmatiae, pro-  
vinciarumque Drauo tenus, opera homi-  
nis Graecis iam imbuti moribus, propin-  
qua adhaec adfinitate coniuncti sperabat  
vel se, vel suos olim posteros consecu-  
turos. Verum haec agitantem Hungari  
consilio anteuenerunt. Namque rempu-  
blicam prolapsam Regis maxime opera,  
initio clam, ac postea palam et aperte  
dictantes effecerunt, vt Stephanus, ve-  
rens insidias, regno excederet, locumque  
daret restituendi patruelis, iniuria non  
multo ante regia priuati dignitate.

STEPHANVS III. itaque Rex ite-<sup>1163</sup>  
rum suffragiis omnium imperat, frendente  
Manuele, eripi sibi conceptam spem, et ope-  
ram sumptusque hac positos eludi. Neque  
tamen non cessit varietati fortunae, secus,  
quae cognitione futura praeceperat, ad  
exi-

exitum adducturus. Ea mente Belae, Regis fratri, Mariam ex se natam nuptiū dat, pactus genero, cum Sirmio, Dalmatiā. Id eiusmodi erat, ut eius potiundi quarundam Hungariae prouinciarum, noua arte sibi adsereret; certe caussam belli serendi inueniret. Non latebant haec Stephanum: tamen, quod resistere extemplo nequibat, ad tempus dissimulanda erant. Inter ea, dum aliquid pacis fuit, militem conductit, instruit armis et anno na, socios conquirit, in primis cum Friderico Imperatore, et Vladislao, Bohemorum Rege, foedus amicitiae iungit.

1164 Ita ab omnibus rebus, ut existimabat, paratus, Sirmio copias admouet, atque prius omnem prouinciam, sub suam redigit potestatem, qua Bela Byzantii mortatus, vel confilii quicquam de resistendo capere potuisset. Manuel adeo inopinare vehementer motus, Hungarum litteris, Vladislauum per legatos conuenit, vtrisque bona fide sancti foederis violationem, laesamque cum amicitiam, tum suam erga eos benevolentiam exprobrat; minaturque armis vlturum iniuriam, ni, quae iniuste erepta fuissent, subito redherentur. Rex, quod iterum Stephanus, qui Hungaria extorris ad Byzantinos sese receperat, res nouas moliri, imperium adfectare; ea conditione se bello abstine re, et, quae iam occuparat, restituere velle,

velle suasore Rege Bohemiae, receperat, si nihil imposterum eum a Caesare, tum a patruo suo, periculi accideret. Amicitia eo pacto, denuo coaluit; quam tamen Stephanus exsul, vt erat inquietus, et otii minime patiens, breuissimo interturbauit tempore. Qua iniuria prouocatus Rex Sirmium, cuius moenibus ille, postquam a sequacibus turmis paene desertus fuisse, se defendere gestiebat, summa vi oppugnandum instituerat. Manuel indignatus fidei inconstantiam, legatorum opera, cum Halliciae regulum, tum Marchionem Austriae, ad spargendas aduersarii vires sollicitat; cum Venetis quoque, de centum triremium classe, auxilio mittenda, transfigit. Ne tamen interea, dum sociorum exercitus conueniret, Sirmium caperetur, agmen expeditum praetire iubet; ipse cum phalange breui affuturus. Id suspicantes fore Hungari, insidias Stephano, vrbis praefecto, et seditionis concitatori praetendebant; quibus vbi periit, asty potiuntur. Vix dum haec acciderant, Imperator cum maxima copiarum parte, Sauum traiicit, Sirmium operibus claudit, nec ante moenia turresque iam cuniculis subruere, iam arietibus quatere desistit, quam magna Hungarorum caede recipieret.

1167 ret. Eodem fere tempore, opera Duce, omnem propemodum Dalmatiam Croatiamque, Belae vtpote, prout interpretabatur, haereditatem occupat. Haec tanta tamque inopinata vis subegit Stephanum, vt pacem a Caesare peteret, quam impetravit omnino, at iactura, quae iam armis tenebantur, prouinciarum. Diutinam illam haud fuisse, sed breui post bello mutatam mirum non est; cum foedus durissimis ictum conditionibus, sicut hoc erat, subinde iniustum existimari solet. Nec tamen multum, longa et anticipiti dimicatione, effectum est; vt contra ann. 1173 te Stephanus vitam amiserit, quam quae perdita pactione erant, recuperaret. Hoc fine prole extinto, et Strigoni sepulto.\*

1174 BELA III. Rex deposcitur, iam ante Byzantii Caesar renunciatus. Simul ac, diu extorris, patriae redditus est, et a Pontifice Colocensi rite inauguratus, eo potissimum curas intenderat, vt regnum latrociniis misere vexatum, tranquillitate do-

\* NICETAS CHONIATES Annal. l. 4. 5.  
CINNAMVS Hist. l. . 6. CHRON.  
CLAVST. NECH apud Cl. Pecium in  
Script. Austr. et THVROczIVS c. 07.  
seqq.

donaret, et modum reipublicae admini-  
strandae Graiorum prudentia temperaret.  
Nam *cum Reges*, ante hac, inquit Bonfi-  
nius, *promiscue et immodesius ab hominibus*  
*adirentur, auresque indolae multitudini acco-*  
*modantes, modo garrulitatis fastidio, modo*  
*loquendi inscitia afficerentur; neque grauita-*  
*tem, pro dignitate seruarent, neque distincte*  
*iudicia enunciarent, hinc factum est; ut Bela*  
*primus petitionum, ac precum formulas insti-*  
*lueret, ex Imperatorum, Pontificumque more;*  
*et duos precum ministros adsciererit, qui quoti-*  
*dianas petitiones, ei secreto legerent, rescripta-*  
*que manu regia responsa referrent. Vnde*  
*optimus iudiciorum, et gratiarum mos, tunc*  
*Vngaris introductus. Rebus sic domi ordinatis,*  
Manuele Imperatore, cuius nepoti 1180  
Isaaco filiam vxorem dederat, mortuo,  
omni cogitatione ferebatur, ad Dalmati-  
am, qua interea Veneti Graiis ademe-  
rant, Croatiamque recuperandam. Nec  
obsttit consiliis fortuna. Graeci jam  
Perfico bello, ad quod gerendum Bela  
suppetias Transiluanicas miserat, iam malis  
domesticis extenuati, malebant amicis  
reddere, quam ab hostibus teneri. Ve-  
neti quidem, quoad eius fieri potuit, re-  
nitezabantur; verum et defectione plurima-  
rum ciuitatum, et rerum apud se neces-  
sariarum inopia et virtute nostrorum eo  
intra breve tempus ventum est; ut Hungari  
Croatia, et omni paene Dalmatia  
post-

postliminio potirentur, nec eas sibi, aduersariis semel atque iterum profligatis, eripi paterentur. Accesserat quoque Moe-  
 fiae pars ad Morauam (Rama) vel vo-  
 luntate Alexii Comneni, vel armis Hun-  
 gariae, dum Andronicus rempublicam tur-  
 baret Constantinopolitanam. De Halicia  
 1185 sub iudice lis est. Sunt, qui eam a S.  
 Emerico iam possessam scribant, quod in  
 Annalibus Hildesheimiensibus, Dux Rus-  
 forum appelletur; alii a Colomano, rur-  
 sum nonnulli ab Andrea demum II. Hun-  
 gariae iuribus adiectam esse velint. De  
 Bela certe scriptores Polonicis \* memo-  
 riae prodiderunt, *mifisse eum Andream fi-*  
*lium, qui Haliciam in ditionem suam redi-*  
*geret, huncque dolo malo, urbem cepisse,*  
*adegisseque extremo ciues ad sacramentum, et*  
*ex voluntate sua cuncta administrasse;* verum  
*biennio post, a Polonis et Russis, expugna-*  
*ta Halicia, regno exactum; inimicitias tan-*  
*dem, quae in graue bellum erupturae vide-*  
*bantur ita compositas, Hungari ut amplissimo*  
*suo regno contenti, Haliciam Russiamque omnem*  
*Polonis permitterent, his, quando necesse fo-*  
*ret, aduersum hostes, amicis usuri. Ante-*  
*quam pax fieret, Bela Fridericum Im-*  
*peratorem, cum copiis in Syriam pro-*  
*fi-*

---

\* BOGVPHALVS; DLVGOSSVS 1. 6. CRO-  
 MERVS Rer. Polon. 1. 6. alii.

ris pax esset, domi grauis seditio, vnde  
1200 minime timeri debuit, exorta est, Ab  
Andrea scilicet Regis fratre, quem Bela,  
vt praedictum est, Ducem fecerat Dalmatiae,  
Emericus, quod videbat alios spernere, sibi regni gloriam inuidere, facile  
que ab insolita dominandi cupidine cor  
ruptum iri, quibusdam circumscriptis terminis. Id ille adeo indigne tulit, in pri  
mis quia cernebat hoc modo negari sibi  
occasione recuperandae male collocatae  
pecuniae, quam pater sibi, ad profectio  
nem Hierosolymitanam voto promissam  
tradiderat; vt de re nulla sollicitus, quam  
de mouendo in fratrem bello, et si for  
tunam secundam nactus fuisset, regno  
depellendo cogitaret. Animum tanto mar  
gis sustulit, postquam compererat Leopol  
dum Austriacum sibi cum delecta manu  
auxilio venturum. Crescit in dies, affi  
duum inter fratres discordia malum:  
cuuntur rumoribus irae: praeparantur  
trinque arma, et mox expediuntur:  
solito vehementior militum concursus:  
propelluntur Hungari: Dalmatae victoria  
ouant. Emericus rei non magna  
praemio elatum hostem, ac immodo  
gaudio, speciem nobilis victoriae impo  
nere impatienter ferens, quod prius pau  
citate ad fugam coactus, haud pro vo  
to res gesta est, maiores nunc conscri  
bit.

bit copias; quarum tanto ardore est usus,  
ob iram nuper inflictæ cladis: vt primo  
impetu hostem profligaret, et seu in Dal-  
matiam, seu in Austria propelleret. Sub  
idem tempus Principes Germaniae in Pa-  
laestinam profecturi ad pacem amicitiam-  
que hortabantur, quam etsi non fidam  
fore videbat Emericus: tamen condicio-  
nem accepit, seque in gratiam cum fratre  
rediturum dixit. Andreas, quod impla- 1202  
cabile odium in Regem suscepserat, pro-  
pitia erga se voluntate ciuium (nam a-  
gminatim in suas transibant partes) bel-  
lum rursus paci concordiaeque nuper fa-  
ctæ antetulit. Emerico non mediocris  
præbitus terror, cum videret ad arcen-  
dam vim parum virium esse a suis pae-  
ne deserto. At is rem ausus propemo-  
dum incredibilem, et ad famam regiae  
virtutis insignem, Namque positis armis,  
virgam manu gerens, in medium arma-  
torum agmen se, nullo comitante, immi-  
lit, clamitans: *Precario, inquit, Rex sum:*  
*imbuite, si par esse putatis, Regis vestri san-*  
*guine manus, et gladios scelere cruentate.*  
*Expetet poenas, infandi parricidii, sequutura*  
*aetas, seque ingratissimis ciuibus liberabit.*  
Quis crederet inimicam paulo ante mul-  
titudinem obtorpuisse subito metu, vel  
admiratione, et tam effusam plurimorum  
licentiam ita compressam, vt non modo

nullus ex omnibus manus Regi intulerit, vel saltem restiterit; sed e contrario vniuersi, quo properabat, spatium fecerint. Tanta erat regii nominis veneratio, et singulari fiducia exerciti imperii timor! Ille, quo tendebat, delatus fratrem manu corripuit, et e castris eductum, in aree Slauoniae Kheene custodibus adseruandum tradidit; quod cum nulli non admirabile visum est, vniuersi eximium ediderunt poenitentiae exemplum; quanto abest, ut accensi fuerint, ducis sui custodia, ut contra passis manibus Regem orarent, atque obsecrarent, quosibi irasci desineret; nec, quae deliquerint, reminisceretur. Is, ut erat miti et tractabili ingenio, cunctis simpliciter ignouit; ne, si totum se permitteret fortunae, eam extremo aduersam nancisceretur. Nec in coniunctum diu utique iram gerebat, a Romano Pontifice, ut custodia eximeret, perductus. Interea dum lites domesticae seruebant, Venetae, opibus Gallorum, in Syriam tendentium adiuti, Iadram in Dalmatia Hungarum ademerant. Metus ad omnes valuit; ne vrbs adeo nobilis, suo infortunio, ad defectionem caeteras traheret. Maxime vero ea cura Romanum habebat Antistitem, non tam ob iram occupatae vrbis, quam quod arma contra barbaros imperata, in

in Christianorum perniciem verterentur. Quominus vero suos in Dalmatia adiutum Rex proficisceretur, bellum in Seruia gestum obstitit, quo vniuersa regio in Hungarorum venit potestatem: ut ab hoc quidem tempore, Reges nostri, se Reges quoque Seruiae adpellarent. At extremum rebus externis pariter, ac domesticas pacatis, Ladislao filio Rege, et Andrea, tutore eius constituto, Emericus morbo graui implicitus, diem obiit supremum; Agriam ut locum mortis, ita sepulturae nactus. \*

LADISLAVS III. infans, antequam 1204 offendere quemquam potuit, aduersarium indeptus est, amicorum maximum. Andreas enim, cuius tutelae a patre, ac postea a Romano quoque Pontifice erat de meliori commendatus, venisse tempus existimabat, Hungariae inter rudimenta puerilis regni, per sumnum decus potiundae. Nec enim iam libertate, et ad-

O 3 mi-

\* ORTILO et GODOFRIDVS MONACHVS ad an. 1109. seqq. ARCHIDIA CONVS Histor. Salonit. c. 24. 25. RAYNALDVS ad an. 1200. seqq. LVCIVS l. 3. c. 13. PETRVS DE REVA Cent. 2.

ministracione summae rei contentus esse, nisi etiam regnaret, volebat. Consilia de auertendo a Rege infante populo initio clam, mox pluribus consciis agitare, et arma, si opus esset, mouere; quae elata ad Constantiam Reginam perferuntur. Haec timore perterrita, rebus pretiosissimis et corona regni, paucis fidissimorum comitantibus, illulis custodibus, ad Leopoldum Gloriosum Austriae Ducem, ad tutelam et vindictam profugit. Andreas ne deesset pro parte sua concitando bello, Constantia maximi criminiis ream agebat, *fidem non amicitiae solum, sed et publicae pacis ruptam* dictitans; simul, quae bello remouendo inferuibant, summa contentione comparabant. Non minori studio in Austria exercitus, ad repetendum infanti regnum conducebantur. Iam prope a conflictu res aberat, cum nunciaretur, Ladislauum praecoci morte ereptum, viuere desisse. Id ubi Leopoldus comperit, caussam belli sublatam cernens, redditia Hungarum corona, inimicitias reipublicae ergo concessit, pactus cum Andrea, quem optimo tandem iure regni pessessionem aditurum videbat, foederis societatem. Corpus Ladislai exangue, opera Iaurinensis Praefulsi, Albam deportatum est. \*

AN-

---

\* Praeter supra citatos, Vid. CHRON. AD.  
MONTENSE ad an. 1204.

ANDREAS II. Hierosolymitanus, 1205  
 quod diu malo dolo quaesuit, extinctis  
 demum regni haeredibus, legitime con-  
 secutus est imperium. A defendenda Dal-  
 matia orsus reipublicae curas, ne quando  
 Veneti capta, vt antea memineram, Ia-  
 dra, vltra aliquid tentarent, prudentia  
 cavit, atque vitibus. Hic re, vti piae-  
 optabat, composita, affectati tamen olim  
 regni odium periculorum ratus, vt amo-  
 rem populi sibi conciliaret, fines imperii  
 statuit ampliare. Nec incepta inprospe-  
 ra fuerunt. Halicia, quae iam olim iuris  
 erat Hungarici, affinitate recuperata est.  
 Colomanus, filius qui fuerat Andreae, 1207  
 cum Salomea, Lesci Albi filia prouinciam  
 dotis nomine accepit, Rex omnium suf-  
 fragio consalutatus. Possessio regni, fini-  
 ta armis controuersia, confirmata est no-  
 uo connubio, postquam Maria, Mescislai  
 Russiae principis filia, Belae, maximo na-  
 tu Regis filio collocata est. Eodem, si-  
 ne dubio, et iure, et tempore Lodo- 1210  
 meria quoque in Hungarorum venit po-  
 testatem. Quo factum est, vt Andreas  
 in litteris publicis se Regem Hungariae,  
 Dalmatiae, Coatiae, Rasciae, (Ramae)  
 Seruiae, Halliciae, Lodomeriaeque nun-  
 cuparet. Interim dum Rex suis filiorum-  
 que rebus in Halicia studet, et repugnan-  
 tes armis ad obsequium cogere intendit,

ausus est Banco, Slauoniae Dux (Banus) immanissimum ad posterorum memoria[m] flagitium. Gertrudem enim Reginam, ex qua Bela, Colomanus, Andreas, et S. Elisabetha nati sunt, gladio transegit, inter diuas postero tempore relatam. Ultimam caussam caedis stetisse iram ob antelatos, opera Regiae ciuibus alienigenas probabile est: Bonfinius,\* et hunc sequuti plures, inepte leuocinium adferunt, quasi fratri, sanctissima mulier, vxorem Banconis violandam dedisset. Rex adeo nullam a parricida, id temporis, expetuerat poenam, ut contra, quasi nihil prorsus tanta facinoris indignitate moueretur, rebus Hungariae administrans, dum ipse abforet, praeficeret, virtus cum ciuiles factiones, tum alia itineris, quod parabat obstacula. Maximus enim Pontifex, quod Andreas et gloria maiorum, et sua virtute bellica diuitiisque vnu omnium maxime floreret, Christia-

---

\* Dec. 2. l. 7. p. 279. édit. Franc. verbose haec, et comice denarrat; THVROCIUS Chron. part. 2. c. 72. caussam reticet; Ranzanus factum ind. c. 15.

Itianis Principibus facile persuasit, hunc  
 ut sibi expeditionis sacrae sumearent imperatorem. Id cum nemo non amplectetur: Rex ordinatis domi rebus, cum delecta Hungarorum manu, et magna finitimerum multitudine, etsi celeritas eius ambitu honoris (nam Imperator Constantinopolim poscebatur) non nihil impedita est, Spalatum delatus, postquam plurimos, qui eius demigrationis petebant societatem, in naues impositos praemisisset, cursum direxit, quo tendebat, peruenitque primo Cyprum, inde Ptolemaidem.<sup>1217</sup>  
 Ibi per certos exploratores, in singula diei tempora, quae apud hostes agerentur, cognoscebat. Comperto Sephadium Ducem Saracenorum, ad Babylonem se castris tenere, et filium eius Coradinum cognoscere malle Christianorum exercitum, quam vires experiri, hunc ante omnia statuit Pallestina depellendum. Hoc, quod ei Conilium in fuga erat, facile represso, Andreas montem Gilboam superat, et transito Jordane, castra ad Capernaum ponit; hinc reuersus arcem Thabor, quo res pretiosissimas barbari contulerant, expugnare adoritur. Res initio geritur prospere: ad extremum non tam virtute hostium, quam inuidorum perfidia, et Hungarorum calamitate, non solum oppugnatione montis

desistere, sed plane non multum absuit, quin infectis rebus domum reuerti cogere. **1218** ingressum Antiochiam, Regis Armeniae legati conuenerunt, postulantes affinitatem, quae conuenit ea lege, ut nepos Hungari Armeniis dominaretur. Eisdem fere temporibus Iconii quoque Regulus, iuptiis cum vna filiarum Andreae iungi cupiebat eam si sibi daret veniam pollicebatur, cum omnibus imperio suo obnoxiiis ad sacra Christiana transiturum. Haec dum apud exteris aguntur nationes, in Hungaria ex otio, et Regis absentia lasciuire animi, et pristina mala, postquam foris deerant, domi quaerere.

**1222** Accendebat fomitem calamitatis Bela, et sua dignitate (nam patre viuo Rex appellatus est) et aliorum linguae procastitate abreptus, paene ad seditionem ciues perduxerat: certe eo rem multorum voluntate, ut Rex formam regundae reipublicae oppido immutare: neceesse haberet, edito in eam rem decreto.  
 \* Reddita videri potuisset tali modo regno tranquillitas, nisi inimicitiae

Be-

---

\* Videas id in Corpore Iuris patrii, quod dein multis seditionibus occasionem praebuit; ea de causa antiquatum.

Belam inter et Regem tantum exarsissent; vt propemodum ad manus vtrinque deueniretur. Andreas ancipitem suorum fidem verens, Saxones Transiluanos magnis beneficiis sibi deuincit; vt, si ita status fortunae posceret, haberet, cui salutem crederet. Rediit tamen demum cum filio in gratiam: quod adeo multis procerum non probabatur; vt, quia priuatis suis rebus, ex dissensione publica, non amplius, sicut ante, accessionem fieri posse videbant, vtriusque vitae, per summum dedecus <sup>1229</sup> vim adferre tentarint; si improbum consilium bene ac feliciter euenisset, Hungariam inter se partituri. At insidiis mature patefactis, exitium regiae familie paratum, in auctores recidit; quorum alii morte multati, alii exules iudicati sunt, bonis omnium publicatis. Hoc modo sicariis liberata Hungaria, Saracenorum Iudeorumque auaritia turpiter exinaniebatur; cum hi publica officia administrare permisisti, tantundem fere sibi reddituum, quam publicae rei vendicabant: cui malo cum Rex sanctione publica, tum Antistes Strigonensis, hortatu Pontificis Romani, obuiam ibant. Compressa domi effrenata priuatorum audacia, bellum in Fridericum, Austriae Ducem suscipitur; vix <sup>1233</sup> alia de caussa, quam quod Sophiam, affi-

affinem Belae, vxorem repudiaisset. Ma-  
iore in eo usus est felicitate Bela, ac  
pater suus : is enim Styrios, raptim  
in certamen ruentes sternit, excursio-  
neque in extrema finium facta, vaga  
populatione militem locupletat : Rex  
contra a Friderico, ab expeditione Bo-  
hemica reduce, in limites prouinciae  
repellitur. Pax opinione citius restituta  
est. Tranquillatis ita vndique rebus,  
Andreas pergrandis iam natu, Beatri-  
cem admodum puellam, Aldrouandini  
Estiensis Marchionis filiam, matrimo-  
nio sibi copulauit, domesticarum litium  
caussam futuram, nisi Rex, ex sene-  
ctute collecta infirmitate, anno se-  
quente decessisset : reliquit tamen vxorem  
grauidam, ex qua natus est Stephanus,  
pater qui fuerat Andreea Veneti. Cor-  
pus regium vtrumne Varadini, an in  
Egglesiensi monasterio tumulatum sit,  
non conuenit. \*

1236 BELA IV. postquam patri iusta rite  
exsoluerat, ne potentia magis, ac iu-  
re

\* ODOLRICVS RAYNALDV in Annal.  
Eccl. BERN. THESAVRARIVS apud  
*Muratorium* Tom. VII. GODOFRIDVS  
et STERO in An. LVCIVS l. 4. c. 4.  
CROMERVS l. 7. conf. P. PRAY Vi-  
tam S. Elisabethae Viduae etc.

re gentis imperium obtainere, ne pre-  
ceario Rex esse videretur: secundo re-  
gni diademate, ritu solemni, albae de-  
corabatur. Auctoritate eo modo confir-  
mata, in auctores inimicitarum, quae  
sibi cum patre intercesserant, grauiter  
animaduertit: in his Dionysio Palatino,  
homini vafro, oculos effodi iussit: alii  
vel in carceres conditi, vel patria  
pulsi. Nec minori severitate fastum non-  
nullorum prope iam inueteratum repre-  
fit, mandato in vulgus edito, *ne cui*  
*nisi summorum procerum, Rege praesente,*  
*sedibus confidere liceret.* His tamen re-  
bus, vt bene sapienterque institutae  
fuerint, incredibilem commouit inui-  
diam, fuga Beatricis auctam; quae pri-  
uigni insidias, quod vterum gerebat,  
verens, deposita veste muliebri, virilem  
cultum induit, ad suosque, elusis o-  
mnibus, incolumis peruenit. Grauis  
ex huiusmodi vulneribus profluxit ira,  
iuxta ad perfidiam, spemque nouandi  
res versa. Ausi quippe sunt purpura-  
torum nonnulli, Friderico Austriae Du-  
ci, spreto iusto Principe regni honores  
deferre, auxiliaque, si copiis Hunga-  
riam inuadere vellet, per seditionem  
polliceri. Verum accidit forte, vt ta-  
bellarius, capita coniurationis in Au-  
striam perlatus, per regios intercipe-  
retur.

retur. Bela vt de perfidia suorum comperit, dissimulato dolore, ad conducendum milites fidissimos suorum mittit: ad diem praesto esse iubet; nec tamen appetit, contra quem tanti apparatus belli fierent. Tali consilio vno tempore, et proditores perculit, et aduersarium profligauit. Nam cum illi, Regis potentia transitu deterriti, Friderico, sicut conuenerat, copias haud coniungunt; hic se delusum esse ratus, perpopulata ad Arabonem Hungaria, unde venerat, redibat; quem Bela, raptim agmine facto consecutus, vt acie dimicaret; coegerit, a militibus, timore amittendae praedae, paene desertum vincit; et postquam excursione in finitima Styriae atque Austriae loca exercitum locupletasset, et damna abunde sarsifisset, partus a Duce magnam pecuniae vim, 1239 bello desistit. Tam ancipiti periculo maxima defunctum gloria, legati Cumano- rum adeuunt, petentes, *vt quoniam ab incondita hostium multitudine patriis in sedibus tutis esse non liceret, in ciuitatem receptos tueretur: hanc si potestatem sibi dedisset, universos sacra Christiana amplexuros.* Rex cum ad spem cum sanctioris, tum ciuilis rei Hungaricae venisset, aequa, vt, videbantur, potentibus vltro assensit, terra, pone Tibisci alueum, fertilitatis abun-

abundante, multis inuidentibus, permis-  
fa. Ne opinionem Regis, de se, popu-  
loque suo moraretur Cuthenus princeps,  
exemplum vniuerso populo Cumano mu-  
tatae superstitionis auitae datus, hau-  
sta animo scientia diuiniore Pesthini,  
cunctis, ad tam inopinatae rei aspe-  
ctum plaudentibus, sacra ablutus est  
vnda; nemine cogitatione praecipiente,  
quantae moestitiae initium, tam praecox  
laetitia foret. Tartari a palude Moe-  
tide egressi, principium tragoediae finem-  
que dederunt. Hi enim per omnia la- 1241  
tronibus, quam militibus propiores, qui  
nihil praeter vocem, membraque ha-  
buere hominum, Russiam, Poloniāque  
populati, Hungariae ferrum, flammam-  
que minitabantur. Fama tanti periculi  
celeriter ad aures regis perfertur. Hic  
vt reipublicae pro virili fatagebat, ita  
nihil reliqui fecit, quod ad eam per-  
tineret defendendam. Quod si hoc vir-  
tutis exemplum plerique omnes sequuti-  
fuissent, nunquam Hungaria in ea : quae  
dēnum acerbe deplorauit, incidisset ma-  
la. At quos ante inuictos bella praesti-  
terant, in luxuriam lapsos, otium po-  
stea ac desidia superauit. Certe multi  
fortius pro salute patriae loquebantur,  
ac pugnabant. Hostis iam finitima va-  
stabat. Vix erant, qui se tantae obū-  
cerent

cerent multitudini. Tandem Prorex, cum exigua manu missus, qui pylas occuparet, nec longius barbaros progredi pateretur. Nec tamen hi vim hostium sustinere poterant; sed eo loco paene omnes interierunt. Cum paucis, ex tam capitali discrimine ereptus Prorex, *armis virisque intratam Hungariam, et rerum adesse discriminem nunciat.* Qua fama non secus, ac par fuit, motus Bela, delectum haberi iubet, supplementaque scribi legionibus. Verum et in hac tam proxima iam necessitudine, nunc temeritas, nunc prauitas multorum impedimento et damno fuit. Fridericus in primis, qua languentes, qua territos excitauit animos. Nam tametsi vltione damni, bello priore accepti, aestuare videri poterat: nihilosecius alienam fortunam, nisi quid ipse prouideret, suam reputans fore, cum copiis in Hungariam venit, comiter in agro Pesthano exceptus. Nihil ea peregrinorum militum accessione timoris inectum barbaris, contra furoris plurimum; vt Vacia ignideleta, et Vgolino, summo Colocenfium antistite, in viginosa loca perduto, et milite, quem secum ducebat, perduto, levis armaturae miles Pesthi viciniam vreret, diriperetque. Vulgus vt est mobile, et natura suspicax, tan-

tae

tae calamitatis caussam, in Cuthenum Cumano rum regulum transferebat dicens : non sponte sua, sed deuoratos a Cumanis barbaros Hungariam introisse, nec ante seditionis vocibus, ad necem deposcere des titit, quam cum vxore filiabusque encaretur. Quod factum non ratione turpius, quam euentu calamitosius fuit. Nam caede palam facta, Cumani Regis iussu ad auxilium exciti, ob iram amis si principis rebellant, suasque Tatarorum copiis iungunt, quarum prima vi etima erat Bulzonis, Csanadiensis Episcopi manus, ignari cum caedis regiae, tum defectionis populi. Inter Hungaros, vti consternatio ingens ex praesenti, sic timor in futurum erat. Adversariorum multitudo, quod iam liberam vagandi latrocinandique facultatem ad Danubium non haberet, campos trans annem Sajó occupauerat. Bela, postquam intericto tempore insignem armatorum numerum fecisset; barbaros tandem, vbi cunque essent, occupandos decreuit. Nec hi pugnam detrectare videbantur; quamquam studium simularent. Hungarus positis prope annem castris, quo maiore animo sui pugnam, quam initurus erat, cierent, vniuersas vires in conspectum dedit, mox vt tutior firmiorque esset, tentoria arctis vineulis contrahit. Barbari

aduentu tantae multitudinis nonnihil commoti, omnia intentiore cura praeparabant, et ut fiducia victoriae incautos opprimerent nostros, nocte silente copias traicere tentabant. At non fefellerant Colomanum, qui propere cum manu armatorum, ad pontem aduolat, transire volentium partem sternit, alios in aquas praecipitat; sic hoste, ut putabat, reieeto, et quibusdam suorum ad pontis custodiam relictis, ad Regem accedit, quo et rem feliciter gestam ostenderet, et quid fieri iuberet, consuleret. Interea dum in castris Hungarorum consilium adhibetur, barbari caesis custodibus, qua ponte, qua vadis fluum transeunt, et nostros furto noctis circumuentos inuidunt, frustra, fortiter licet, obsistente Colomano. Tum vero vniuersa tam inopati discriminis facies in oculis erat. Ducibus consilium, mili tempus armis expediendis defuit. Hostium pars tela in impeditos mittebant: pars castris ignem subdebant: alii armatos, sui impotes, haud secus, ac vulgus imbelle ferro transigebant, vel vngulis equorum obterebant. Tandem denique nostri, rebus desperatis, terga dare, ac per medias hostium acies cohortesque fugere, Sed nec id saluti fuit. In fuga enim plus, quam in acie sanguinis ac caedis factum,

Palan-

Palantes, et timore exsangues passim trucidabantur; nec aut abiepto per campos auro argentoque, aut supinas manus tendentium precibus inhiberi crudelitas potuit. Multi in paludes acti; cum vniuersi ferro non possent, ut aquis lutoque interirent. Quum ipsa res speciesque miserabilis erat: tum captiuorum, et morientium vulnus; ubi conspectus aliorum, mutua miseratione, integrabat lacrymas. Horret animus cogitatione rei, quam alii pluribus, atque heic licebat, exposuerunt. Id adiecisse sufficerit, quicquid Hungaris virium fuisset, illa dimicatione prostratum. Rex intra tumultum, opera Forgaciorum elapsus, ad arcem Znio peruenit; Colomanus Pesthuni, inde in Slauoniam; ubi ex vulnera obiit. Insequebatur dissipatos victor, et emensus cursu, et populatione omnem fere, quale patet, Hungariam, ipsum, ante caeteros, Belam occupare gestiebat. Sed in hoc quidem in cassum dependebat operam. Tutius ille intra montes latuit, quam ut vagabundae multitudini, etsi ad Vetusolum iam penetrarat, in manus hostiles incideret. Ab Znio contulit se in Austriam, non quo pro se periculum in Hungaria timeret; sed si fors Ducem, Fridericumque Imperatorem armare, sibiique conciliare posset, patriam

recuperare niteretur. Verum adeo spei  
 non respondit euentus, vt contra ab Au-  
 strio, ob veterem simultatem, non so-  
 lum thesauris, quos secum vehebat, pri-  
 uatus fit: sed etiam coactus, vt partem  
 Hungariae sibi vicinam, in damna princi-  
 pio regiminis illata pigneraret. At ne  
 haec quidem infelicitas, quamquam mul-  
 to acerbissima, Regem ab spe moraba-  
 tur Hungaria potiundi. Ea mente in  
 Dalmatiam profectus vt, quoniam aliena  
 ope non posset, suis ipse viribus, malis  
 regni mederetur. Commodum accidit,  
1243 vt Tatari, vel quod inopia rei frumen-  
 tariae, prope ad famem ventum erat  
 vel, quod res domesticae ad seditionem  
 spectabant, Hungariam suapte defere-  
 rent. Bela simul atque factum compe-  
 rit: statim cum delecto agmine aderat,  
 fluentem procumbentemque rempublicam  
 restituturus. Ut vastitati superuenit, con-  
 spectu tam foedae rei, mirabundus ob-  
 stupuit. Paucae supererant vrbes: pla-  
 nitas omnis colonis vacua: montes,  
 et antra domus erant. Quod reliquum ali-  
 mentorum fuit, locustae; hominum, fa-  
 mes et pestis consumebant. Lupi vel  
 armatis ausi occurrere. Rex vt vacue-  
 factam regionem sefforibus impleret: Cu-  
 manos, quos iam factae seditionis poe-  
 nitebat, ex Bulgaria, quo ad salutem  
 conju-

confugerant, in Hungariam reuocat, iure ciuitatis impertit, se tum statim primus Regem Cumanorum \* nuncupat; nihilque earum rerum omittit, quae ad restituendam rempublicam pertinerent. Ferrebatur etiam intentiore cura recuperandae partis Hungariae, ante biennium, ingratias oppignoratae. Legatione cum nihil profectum esset, vis intentatur. Bohemi nostris, Carinthiique arma coniungerant. Agminibus magis, quam acie pugnabatur. Fere tamen semper Fridericus superior discedebat, donec Frangepanus infestum acinacem, in uno oculorum ita figeret; ut per occipitum emineret. Huius casu non modo debellatum est; sed Rex quoque in spem venerat; Austriae, Styriaeque occupandae: nam Dux improlis occiderat. Verum ut prae Austriorum discordiis, nihil procedebat: ad populandum agrum magis ira, et manubiarum cupidine, quam regionis spe potiundae identidem procefferat. Tandem Austrii Ottocarum, cui Mar-

1246

1250

garetha haeres nupserat; Styrii Belae filium Stephanum Ducem deligunt: a quo tamen postero tempore deficiunt.

P 3

Ex

---

\* Cumania olim Valachiam, Moldauiam, Belsarabiam et partem Tartariae Europeae complectabatur.

1259 Ex hac re nouum conflatum est bellum,  
 quod quia infelix, temeritate Cumano-  
 rum, nostris acciderat, Styria, pace Ot-  
 tocaro permissa est. Ad hanc aduersita-  
 tem, alius praesens terror adfertur : Ta-  
 1261 taros, qui in Asiam reuerterant, aduen-  
 tare, Hungariae exitium minitantes. Be-  
 la, qui post barbarorum profecitionem,  
 magnas noui exercitus vires reparare-  
 rat, impavidus hosti occurrit : manus  
 conserit : supra quinquaginta millia cae-  
 dit : et perculsus aduerso proelio, co-  
 git pedem referre. Certamina foris fini-  
 ta, discordia Regem inter et Stephanum,  
 semel atque iterum coorta exce-  
 pit; quae tamen in tempore sedata est,  
 maximo Hungariae bono Namque vt Ta-  
 1266 tarorum minas praeteream, Bulgari va-  
 stata Seruia, parteque Hungariae, Iau-  
 rinum copias Promouerunt, Bela in  
 Dalmatia cum vxore versante. Stephanus  
 Dux Transiluaniae, Dominusque Cu-  
 manorum, per celeritatem agmine facto,  
 pallantes et inopinatos adgreditur, et  
 tanta strage fundit; vt Hungaris obse-  
 quium promitterent. Vnde postea fa-  
 cum est; vt primus Hungarie princi-  
 pum Stephanus Regem Bulgariae sese  
 scriberet. Bela hoc ultimum calamita-  
 tum habuit solatum; quippe qui trien-  
 nio post, in Insula Leporum, diutur-  
 nis

nis semper vexatus malis, summa in tranquillitate rerum, morte occubuit; unde Strigonium ad sepulturam translatus. 1270

STEPHANVS V. defuncto patre, quod viuo regium insigne sumferat, sine controuersia imperare coepit. Rebus, quae praesens necessitas postulabat, domi constitutis, ad Styriam, vix tentata certaminis alea, olim amissam, armis recuperandam, omni ducebatur cogitatione. Occasionem sibi datam videbat, quum Ottocarus, cum Philippo Salisburgensi, in Carinthia depugnaret. Cum expedito itaque agmine, ad fauces Simeringi montis tacitus accedit, vel per infidias, vel ex improviso hostem occupaturus. Non tamen tentatus successerat dolus. Nam postquam ciuium Neostadiensium nonnulli ad Ottocarum venerant cautum, ne via suscepta ire pergeret, quoniam iuga montium Hungari insedissent; hic alio itinere, qua minime putabatur, in Austriam

P 4

perue-

\* Videatur M. ROGERII Miserabile carmen de destruet. Hung. Script. Hung. part. I. p. 370. edit. TRATTNERII, THOMAS ARCHIDIACONVS Histor. Salonit. c. 37. seqq. PERNOLDVS, et DANDVLVS in Chron. THVROCZIVS c. 74 - 76. Reu. BALTH. ADAMI KERCSELICH Notit. praelim. p. 189. 220.

peruenit. Irrito rerum conatu offensus Rex, quicquid agrorum vicorumque Neostadium inter, Vindobonamque erat depopulatus, copias domum reduxit; anno vertente, omnibus viribus, aperto marte hostem meditans adgredi. Atque egit omnino cum Pontifice Salisburgen-  
 si, vt dum ipse Morauiam, ille Carinthiam fusciperet vexandam. Bohemus et si multorum consilio, ad praecauendum vel ex superuacaneo motus, bellum prae foribus videbat: eius tamen initium in Carinthia fore, nequaquam preeceperat. Tamen vt erat callidus,  
 quod in perniciem suam excogitatum  
 1271 erat, in salutem vertit. Nam victo, per magnam celeritatem, praefule, dum Stephanum, Morauiam vastantem verbis reconciliare non posset, bellum in Hungariam transtulit, captoque Posonio, et direptis, qui illic adseruabantur, Beliae thesauris, hinc usque Nitriam, Danubii parte alia, ad Iaurinum arma cruenta circumtulit: quippe quum soluta omnia rebus vt fit, secundis inuenierat; saltem absente rege, non ea vel praefidia, vel ablegiones, quae resistendo essent. Tum demum post mutuas provinciarum clades, Rex cum Ottocaro, in insula infra Posonium, congressus fidem sanguinat, concessione Styriae, atque

que Carinthiae facta. Anno sequente  
praeclara multa molientem mors occupat  
acerba, qui in insula Budensi monumen-  
to aedis Marianae conditus est. \*

LADISLAVS IV. cui ex amore 1272  
Ghunos, cognomento Cumano inditum  
est; pubertati, quam adolesentiae proxi-  
mior, more gentis, pro patre mortuo,  
Rex iubetur. Vixdum imperare aggref-  
sus, iam bellum, quod ab Ottocaro, ob  
redditum perfidia praefecti sui Posonium,  
et caedem Belae, qui consobrinus suus  
erat, Henrici, Comitis Ginsiensis inui-  
dia factam inferebatur, propulsare, quin  
praeocupare instituit, immisso in Mora-  
viam, Austria, Styriam, et Carin-  
thiam infestis copiis. Bohemus omissa  
arcendarum populationum cura, partem  
Hungariae, anno superiore adfictam cae-  
dibus, rapinis, ac incendiis miserabili-  
ter foedat. Haud minorem desolatio-  
nem nostris in hostico facientibus, Ru-  
dolphus Caesar, Ottocarum Austria,  
post repudiatam Margaretham coniugem,  
haeres quae fuerat prouinciae, reddere  
nolentem hostem Imperii declarat; et 1277  
cum Ladislao inita societate, capta

---

\* STERO in Annal. ad an. 1271. Secus haec  
dixerat BONFINIUS Dec. 2. l. 8. p. 310.  
edit. Lips.

vindobona cogit, vt sibi Austriam, Styriam, Carinthiamque permitteret: Hungaris vero, quae occuparat, restitueret. Quae de Ottocaro, dum sacramento, in insula Danubii, sub tabernaculo adigeretur, ab Imperatore pudefacto, vulgo perhibentur, anilem redolent fabulam. Grauiter increpitum animi pusilli Cunigunda vxore, ambigit nemo, et hoc pudore, reminiscentiaque prioris dignitatis ac fortunae effectum esse; vt fidem, quam dederat, violaret, amicitarum iuria non animi conscientia, verum affectio ponderans. Admiratio cum Rudolphum, tum Ladislaum incessit; unde ab hoste victo, tanta contra maiorem vim audentia. Pax quum facile componi non posset, bellum nauiter suscipitur. Hinc Ladislaus; ex Germania copias admouet Rudolphus. Concurritur. Diu pugna neutrīs inclinata stetit; donicum Ottocarus non ducis tantum, verum etiam fortissimi milites officio functus capitur, et indigno occiditur modo; cum quo vires Bohemorum ceciderunt. Cuius interitu vulgato, his ex dolore metus, victoribus ex successu spes componendae iniicitur discordiae, Hoc vtique sanguine parentatum tranquillitati. Ladislaus manubiarum locuples, magna cum rei beue gestae gloria, ex bello tam suo,

suo, quam peregrino redierat; vt adeo abhorreat a vero, Regi cum Imperatore intercessisse controuersiam. Vt haec omnino diluere possumus; sic non item, quae de Ladislao, merso secundis rebus, quarum nemo ac is, intolerantior erat, perhibentur. Vulgo scilicet arguitur impudicitiae. Vxorem vtique, Siciliae Regis Caroli filiam repudiarat. Cumanarum mulierum vt familiari consuetudine, cum mater Elisabetha eadem gente nata erat, tum eximia formae pulchritudine irretitus esse videtur, exemplum, vt post apparuit, adeo enormis vitandi facinoris, futurus. Nemo dubitat, Cumanis supra, quam oportebat, fauisse, cuius indulgentiae, semel, iterum atque saepius admotus est. Vbi, quam modo fecerat spem, subuerteret rursum, ne Cumani benevolentia Regis ad incommodum reipublicae abuterentur; Hungari, electis pellicibus, libera tenent custodia, Maior opinione, ex hoc oborta est seditio. Cumani non tam offensi Regis vindicta, quam defiderio regni occupandi, copias contrahunt, vtpote specie Regis e custodia liberandi, summas rerum obtenturi. Non latuit principes Hungarorum, consilii in suam perniciem initi ratio. Faciunt de eo certiorem ipsum Regem. Hic tametsi, vt iam memoratum est, Cumanis addictus erat; nihilosecius, hac tam effreni audacia offendus,

fensus, vt omnes ad arma coouenirent,  
iussit; sic ipse, ne quis se improbis ira-  
sci ignoraret, inter primos constituit.  
Haud alias tam infestum sibi viderant  
Regem Cumani, et vultu eius minaci,  
metum futuri concipiebant periculi. Ac  
terruit omnino singulos praesentia adeo;  
vt vix pugnare exorbi, iam terga da-  
rent. Capti sub iugum missi sunt, fugi-  
riui in Tatarorum fese contulerunt clien-  
telam. Nihilosecius consuetudo mulie-  
rurn Cumanarum imo in pectore manebat;  
quae caufsa ei malorum exitiique fuit.  
Trahebatur in partes respublica; priua-  
ti, contemtu Regis; publica gerebant  
bella: Tatari rursum regionem vexabant:  
Venetae vrbes Dalmatiae maritimas occu-  
pabant: Vrosius, Seruiae regulus, Ma-  
souensem Ducatum; Patareni Bofniam:  
ac vt tantae calamitati modus poneretur,  
Hungari Andream Venetum Regem de-  
ligunt. Cum haec singula parui duceret  
Ladislaus, et libidini magis, quam cu-  
rae reipublicae vacaret, a Cumanis, qui  
vxores foede violari impatienter fere-  
bant, nocte concubia, in tabernaculo  
ferro interentus est, apud Csanadienses,  
proximos Cumanis, humo mandatus.\*

AN-

\* STERO in Annal. apud Frecherum; CHRON.  
AVSTRALE; SIMON DE KEZA, GE-  
RARDVS DE ROO. THVROCZIVS. c.

## ANDREAS III. VENETVS, Hiero- 1290

solymitani, ex Stephano, et huius v-

xore Thomasina, Venetiis oriunda ne-

pos, communibus Hungarorum suffragiis

Rex constituitur. Cum vero exterorum

plerique cognatione stirpi regiae adne-

xum negarent, tantoque fastigio indi-

gnum, factum est, vt in Italia Carolus

Claudus, Rex Siciliae, Carolum Mar-

tellum, quem ex Maria, Stephani V. fi-

lia procreauerat, annuente Pontifice

Nicolao, Regem esse iuberet; in Ger-

mania, Rudolphus Habsburgicus, Alber-

tum Austriae Duce. Andreas immi-

nentem tempestatem euitatus, ne vno

tempore, cum duobus pugnare cogere-

tur, primo Albertum opprimendum pu-

tauit, vt proximum, sic paterno robore

periculosisimum, Celeritate igitur ma-

xima contracto LXXX. M. exercitu,

Austriam introiuit: longe lateque impu-

nissime vagatus, domesticis factionibus

vexatum Duce, et de abstinendo re-

gno a summo Romanorum antistite mo-

nitum eo perduxit; vt non modo occu-

pata in Hungaria loca protinus redderet;

sed contentione quoque de principatu

desisteret. Haec dum ad occasum ge-

runtur, Stephanus, Seruiae Regulus, ex

ancipi mutatione temporum pendens,

omnem propemodum Bosniam, nullo ne-

gotio, in suam redigit potestatem, et

Maximum Pontificem orauit atque obse-  
crauit; quo dominationem suam auctori-  
tate, litterisque ratam esse iuberet. Dis-  
simulauit interim iniuriae atrocitatem An-  
dreas, quod a Carolo Martello grauius  
periculum, sibi regnoque suo impendere  
intelligebat. Hic enim sicuti pro Rege  
publice se gerebat: item neque Dalmatiam  
tantum, sed Croatiam quoque, ac  
ipsam prorsus Hungariam, ad defectionem  
1292 follicitabat. Certatum est de summa re-  
rum, collatis signis ad Zagrabiam; quo  
proelio Andreas superior discessit, aemul-  
lumque Dalmatia omni expulit. Nec  
amplius periculi quidpiam, ab hoc qui-  
dem acciderat; quod fato ante praecip-  
peretur, quam conata perficere posset.  
Neque tamen leniorem metus foillicitu-  
dinem iniecit Carolus Robertus, Martel-  
li filius, cum ob nimiam regni cupidita-  
tem, tum ob factionum studia, quae  
pud Hungaros pullulabant. Andreas cum  
se rebus domesticis minus tutum vide-  
ret, exteris affinitate, ad societatem ad-  
iungendos censebat. Ea mente sicuti fi-  
liam, haeredi regni Bohemiae atque Po-  
loniae Wenceslao collocabat: ita ipse,  
1297 post occasum Clarae Euphemiae, Agne-  
tem, Rudolphi ex Alberto neptem, ma-  
trimonii vinculo sibi copulabat. Dotis  
nomine vxori, dum superaret, prouin-  
ciam Posoniensem dedit, cum insula Ci-  
tuo-

tuorum. At, istud quidem, eiusmodi  
 erat; vt cum Austrum amicum sibi face-  
 ret, Hungaros rebus suis abalienaret.  
 Opinio etenim manebat, Regem Hunga-  
 riā partiri decreuisse. Qua ex re non-  
 nulli procerum, Dalmatiae praesertim,  
 Croatiaeque, ad Robertum descivierunt,  
 eumque ad capeſſendum regnum inuita-  
 runt. Is a Pontifice Rex salutatus, cum  
 delecta manu tanto celerius in Dalmatiā 1299  
 traiecit, quo maior spes suberat imperii  
 potiundi. Claffe ad Spalatum appulsa,  
 Zagrabiam copias promouit, postquam fi-  
 des ab iurantibus facta est, praecipue ab  
 Henrico et Paullo, Bannis, item Vgro-  
 nino. Rex harum rerum cura fractus,  
 cum haud aequiore erga se animo vide-  
 ret Hungaros, in morbum incidit, quo  
 paullo post demum obiit, Budae tumula-  
 tus. Si qua re, ea certe memorabilis,  
 quod extremus stirpis Regum indigena-  
 rum fuerit. \*



## L I-

---

\* HANTALLERVS in fast. Campil. PAPPEN-  
 HEMIVS in Chron. Austr. THVROCZIVS  
 c. 82. 83. BONFINIVS. Dec. 2. l. 9. 314.  
 edit. Lipſ. seq. RANZANVS Ind. 17.

## LIBER II.

DE

## REGIBVS MAXIME PEREGRINIS.

**R**OBERTVS vt de morte Regis compenerat, spem suam multis inflantibus, ex Croatia, in Hungariam venit, quem Gregorius Archiepiscopus Strigoniensis, amonitu Bonifacii, cum sacra corona, quod plurimi; ne res conficeretur, obfistebant, non posset, alia demum regi dimiuit. Atrox, factum hoc, consequuta est animorum indignatio, quaerente senatu, *ius sibi, patro more eligendi Regis paucorum audacia eripi, principemque suis ingratiss obtrudi.* Consultitur in medium. Pars optimatum potior, Wenceslao Bohemo, matre Cunigunda, Belae IV. filia generato regnum deferendum decernunt. Mittuntur ex templo in Bohemiam legati. At is quidem, postquam pro facta sibi regnandi potestate, gratias egisset, negauit se honorem, quem secus alii, per ignem ferrumque petere solent, accepturum, dicens: *Magnum se iam onus suffinere capite, duorum utpote regnorum (Poloniā nuper consecutus erat) insigne; nec immerito vereri, ne non tot tantisque curis sufficere possit: adeo vero se non concupiscere, quae haud capiat, ut nihil utilius putet, quam Hungaros, ab alio, minus*

curarum mole grauato, regnari. Si visum  
esset in id fastigium recipi, ex se natum  
Wenceslaum, Regibus Hungariae affinitate  
iunctum, se non modo voluntati inclytae gen-  
tis non tam reluctaturum; sed contra, si opus  
fuerit, consilio, et opibus rem Hungaricam  
adiuturum. Acceperunt vltro, quod da-  
batur, Oratores, rati consilia sua nulli  
eorum, a quibus missi erant, displicitu-  
ra.

WENCESLAVS itaque, cui nostri <sup>1301</sup>  
nomen *Ladislai* indiderunt, facta ab legatis  
fide, multis Bohemiae procerum comitan-  
tibus, Albam deducitur, et patrio mo-  
re coronatur. Id vt cognouit Bonifa-  
cius Pontifex, impatienter ferens, sua  
opera Regem creatum tali modo despi-  
ci, vt Ioannem Archiepiscopum Colo-  
censem (nam Strigonensis Caroli partes  
sequebatur) temeritatis grauiter incre-  
puit: ita Wenceslaum, Regem Bohemiae  
obtestatus, et maiorem in modum hor-  
tatus est, filium, ad quem regni non  
pertineret dignitas, vt absque compe-  
rendinatu renocaret. Hic tamen cauflam  
filii iustiorem Caroli reputans, maxime <sup>1302</sup>  
nitetur Pontifici persuadere: *Wencesla-*  
*um* haud *indignum esse*, *Hungarico imperio*  
*quod Carolus non nisi factiosorum quorundam*  
*votis, hic contra communibus prope suffragiis,*

Rex delectus fuerit, riteque inauguratus: proximiore adhaec cognatione Italo prisca Hungariae Reges attingere; quando non modo matre, regiae Pannonicae stirpis ortus esset, sed etiam uxorem Andreae III. filiam in matrimonio haberet. Bonifacius tamen, qui ius Hungarum Reges dandi ad se pertinere existimabat, minus, ac decusset, motus, cum opera legati sui, tum Alberti Austriaci opibus, Caroli res adiutum ibat. Et Albertus quidem, quod ei cum Bohemo veteres inimicitiae, ob fodinas Cuttenbergen-<sup>ses</sup> erant, cum nonnullis Hungarum: et XX. Cumanorum millibus in Bohemiam irrupit. Etsi vero heic male rem getserat, non minora a Cumanis, quam ab hoste damna passus: tamen instigante Roberto, in Hungariam castra promouit, sperans hic se fortunam secundiorum experturum. Ac perhibetur omnino, prouinciam ad Budam usque peruastasse, montemque Pannoniae expugnasse; nec tamen inultam fuisse hanc progressionem. Pontifex tandem ubi, quoquo modo negotium adgrederetur, haud multum se profecisse videbat; intellecterat contra, inaudita audacia, se a lacerdotibus Budanis sacris prohibitum, fulmen in omnes Wenceslai affeclas vibravit. Hoc terrore multi Antistitum perculti, deserto Re-

ge,

ge , aperte in Caroli partes transibant, Proceres inter amorem libertatis , metumque seditionis publicae haerebant. Wenceslaum , ob largiorem remeti vsum , dum plerique temnere viderentur, plurimorum conatus erant , quo utriusque malo , in tempore, obuiam iri posset , Ottomem Bauariae Ducem , quippe quia matre Elisabetha, Belae IV. filia , editus fuerit , deuocare. Rex quo in periculo esset , patri mature perscripsit , qui procerum longo numero , et frequenti armatorum caterua comitatus , apud Pestinum , campis patentibus , castra posuit, denunciauitque filio , vt diadematè regio hospitali tessera redimitus , ad se adiret. Quia res composito agebatur , Rex non abnuit , pietatis iura praetexens , speciemque maiestatis ostendenda ; optimatum partim , quid fieret , ignorabant ; alii coronam apud Wenceslaum , quam Carolum esse malebant. Bohemus , Petermanno , Budae praefecto constituto , filium impendenti periculo eripuit , cum corona Pragam delatum. \* Huius facinoris

Q 2

---

\* WENC. AB HAGECK Chron. Boh. ad an. 1301. seqq. AENEAS SYLVIVS hist. Boh. c. 28. IO. DVBRAVIVS l. 18. f. 174-176. edit. Baf. THVROCZIVS c. 84-86. ADAV-CTVS VOIGT. a S. GERMANO Böhmi- scher Münzen Beschreibung part. 2. p. 84. seqq.

ris non minus, ac mortis Bonifacii, <sup>vt</sup> fama in Hungaria percrebuit, cum alii Roberto se addicerent; plures Ottoni coronam, si recuperare posset, deferunt dictantes: *Neminem regnare passuros, unde periculum libertati foret.*

**1304 OTTO BAVARVS** et si videbat, quam difficile esset, in tam impeditum eni*m* imperium: tamen accipere non abnuit. Conuenit a primo de corona Wenceslaum seniorem. Quantum minus, huius quidem reclamazione, in spem venire poterat: eo faciliorem se filius, defuncto patre, praestitit, contentus Bohemiae, Poloniaeque imperio. Otto votis potitus, ob Rudolphi Ducis Austriae, amici Caroli infidias, per occultos viarum anfractus, primo Sopronium, ac inde postea Albam peruenit; vbi gaudio maximo exceptus, solemni ritu, a Weszprimensi et Csanadiensi Episcopis inaugura-

**1306** tur. Ut est ingressus imperium, Rudolphus, Caroli gratia vastitatem Hungariae infert, quam nouellus Rex, a milite non satis probe instructus, usquam se mouere posset. Vindicauit se tamen de hoste, simul ac vires colligere licuit, in Austria caedibus ac incendiis luttissime graffatus. Quominus ultione se sepleret Rudolphus, bellum obstitit Bo-

he-

hemicum, quod ita implicitus erat; vt  
hac ex parte, nullam amplius vim, pe-  
riculo defunctus, vt globum consensionis  
aduersae disiiceret, potestatemque suam,  
affinitate, viri auctoritate summa, op-  
ibusque amplissimis muniret, filiam Ladis-  
lai, Transiluaniae praefecti, vxorem du-  
cit; imprudens, vnde opem quaereret,  
perniciem exorturam. Ladislaus quippe, 1307  
cum omnium saluti, quam suae dignitati  
amicior videri mallet, non ante Regem,  
qui ad se inuisendum venerat, custodia  
soluit, quam in abdicationem regiae po-  
testatis, mitteret arbitrium iurisiurandi,  
seque vltimis execrationibus obligaret,  
nullo modo ius suum, si quod haberet  
vindicaturum. Dicitur deperditam esse in  
hoc itinere Transiluanico coronam, sed  
inuentam quoque, non sine prodigo,  
ex quo, cum capsula delapsam, in via  
publica, dum nemo praetereuntium con-  
spicaretur. Sed istud quidem accidisse  
probabilius est, quum per loca auia, vt  
supra memoratum est, in Hungariam, ex  
Bohemia tenderet; id quod et Thuroczius  
ipse innuit. \*

Q 3

CA-

---

\* THVROCCIVS c. 87. 88. IO. AVENTINVS  
Annal. Boic. l. 7. CHRONICON. MS. apud  
Cl. LINCKIVM ad an. 1305. seqq.

1308 CAROLVS I. ROBERTVS ad acci-  
piendum viduatum, arte Ladislai, impe-  
rium Pesthinum, quo comitia indicta e-  
rant, cum legato Pontificis, expectato  
aduolauit maturius: vbi postquam satis  
cautum fuisset libertati, de Rege, more  
patrio eligendi, omnium acclamacione  
Rex designatur, et secundo abhinc anno,  
frustra obnitente Matthaeo Trenchinien-  
si, ad Palatini dignitatem, a Wenceslao  
olim electo, et irritas constitutiones,  
se inuito factas, declarante, Albae Re-  
gali, laetitia viiuersorum, coronatu.

1310 Scilicet, ut est mobile hominum ingenium,  
et, qui ante merita eius maxime obtre-  
ctabant, iam laudibus ad coelum tulerunt.  
Primam litem, cum Venetis, de Iadra-  
vrbe Dalmatiae, habuit, quam hi, ad  
Hungaros defecisse aegre ferebant: Caro-  
lus ciuibus ita auxilio esse nequibat, quin  
hosti potestatis aliquid in se concederet.  
Obfuit rei bene gerendae homo audaciae,  
quam fortunae maioris, Matthaeus, quem  
dixi, Trenchinensis, qui incertum, fa-  
miae, an libertatis cupidior, intestinos  
ciebat tumultus. Quo minus mali con-  
tagio plures corriperet, Rex, in  
tempore, opprimendum putauit. Apud

1312 Hernadum amnem committitur ea propter,  
adeo pertinax proelium; ut regiis victo-  
ria, magno detimento, et multorum  
mor-

morte constiterit. Carolus fortunae inconstantiam verens, ad obterendum penitus hostem, cum Friderico Imperatore, armorum facit societatem. Hic tanto cupidius oblatam accepit amicitiam; reddidique Agneti olim, dotis nomine affignatam prounciam, quo magis opis alienae, contra Ludouicum Bauarum, de honore imperii sibi aduersantem, indigebat. At Hungariam quidem Matthaei, opinione maturiore vita deceffus, omni seditionis metu exoneravit. Altera tamen parte, haud minor vis mali, incubuit regno. Nam dum Carolus nuptiarum solemnia obiret (duxerat Beatricem Lucelburgicam, et hac, intra annum defuncta, Elisabetham, \* Wladislai Loctici, Regis Poloniae filiam) Pannoniam hinc Tatari, illinc Vrosius, Seruiæ regulus infestabant. Neutris impunita audacia dimissa. In primis victori poenas dedit Vrosius; ut 1320 Rex vna expeditione, non Seruiam solum perdomaret, sed, quae ei subsidio venerat, Mediterraneam quoque Mace- doniam. Nihilosecius Tragurini, haud

Q 4

ita

\* Haec inuenisse fertur aquam medicatam, quae Germanis; das Wasser der Kdniginn von Ungarn. Gallis: *L'eau de la Reine d' Hongrie dicitur.* Vid. Nic. Le Febure *Traite de la Chumie*, parte 1. p. 474. edit. Lugd.

ita longo post tempore Venetis, quam Regibus Hungariae, obnoxii esse maluerunt, qua ex re veteres, in Dalmatia, gerebantur simultates. His quoquo modo compositis, rebusque Bosniae, quas Patareni turbare videbantur, et Ottone, Austriaco Duce, Friderico Imperatori reconciliato, Rex summam curam, in bellum Valachicum intenderat, cui caussas veridicas adiungere est perquam difficile.

1330 A Bazarabo id temporis, Valachi regnabantur, quem perfidiae insimulari audias; fors ex eo, quod postea acciderat. Is saltem, cum se infestis signis peti videret, Regem obsecrabat: *quominus iuidiae paucorum, quam suae fidei, plus trubueret: fortunae, quae lubrica esset, intuenter vicissitudinem, ante, quam eandem uterque experiretur, acciperet pro sumpibus, in apparatum belli impensis, septies mille argenti pondo; obsidemque, si ita videretur, filium imperaret.* Erant; qui vt conditionem, certe victoris desiderio suffecturam, Rex amplecteretur, suaderent. Hic tamen, spredo salubri consilio, tamque fortunam in potestate haheret, profectionem indicit. Superantur opinione felicius angustiae montium, quorum perpetuum dorsum Valachos, ab occidente, et aquilone protegit. Miles, quum nullus obsteret, in praedam effunditur; quam ubi steri-

sterilem repetit, frumento igni corrupto,  
 et pecoribus in saltus abactis, commea-  
 tus celeriter deesse coepit: cui malo quod  
 succurri non spretam aduersario obtulit:  
 quam is maiore celeritate accepit, ac fi-  
 de. Namque dum legiones Hungaricas  
 saltum, caua valle perium intraffe, et  
 in arctissimas fauces penetraffe intellexit:  
 occupatis rupium cacuminibus, extra teli  
 iactum consistentes Valachi, ingentis  
 magnitudinis saxa, per montium prona-  
 deuoluebant, quibus fortissimi quiue, fe-  
 rarum ritu, velut in fouea deprehensi cae-  
 debantur. Regem non dolor modo teme-  
 re, in tantam calamitatem coniecti exerci-  
 tus, sed etiam timor amittendae salutis  
 angebat. Quominus itaque, cum exerci-  
 tu inultus periret, Deseum, Dionysii,  
 belli auctoris filium, vestitu regio orna-  
 tum summae rei praefecit (qui omnium  
 expositus telis, fortiter pugnans occidit)  
 ipse veste militari sumta, a fortissimis  
 suorum protectus, aegre tanto fese sub-  
 duxit periculo. Fuga tandem alpes trans-  
 gressus, ad maius fere periculum do-  
 mum rediit. Infaustus. quippe Felicia-  
 nus quidam, familiaris olim Matthaei  
 Trenchiniensis, oblitus summa se a Ca-  
 rolo beneficia accepisse, Reginam, in  
 suburbio Vissgradiensi, mensae accuban-

tem, ferro confosurus, velut furiis agitatus petit. Rex periculi magnitudine motus, obiectu corporis, et si amissis, uno ictu, quatuor digitis, haud leue acceperat vulnus: tuetur tamen vxorem, conseruatque. Parricida a violando amplius Rege, sceleris atrocitate ex conscientia percussus abstinet, at Ludouicum atque Andream, regios principes, ausu scelerato inuidit; vitae vtriusque finem facturus, ni praefecti morum mortifera vulnera, vt saluti, fidei suae creditorum consulerent, accipere voluisse. Strepitum ad aures aulicorum perlato, Io. Potokianus, audacia furentem arietat Felicianum, mox ferro, quod cruore innocentum manabat, e manibus extorto, transuerberat, ab accurrentibus minutim concisus. Squalidae exuviae, pro portis urbium, vt exemplum fieret puniti facinoris, suspensae; in propinquos quoque

1333 animaduersum. Rex tam internecino defunctus periculo, facta cum Austriis pace, in Italiam proficiscitur, Andreamque filium septennem, regni Neapolitani haeredem declaratum, vt firmior effet denominatio, cum Ioanna, Roberti nepte sponsaliis copulat; et, ne quid regnaturo deesse 1335 videretur, illic relinquit, Italicis educandum.

candum moribus. Hinc vbi reuertit, Ta- 1335  
taros cum Ruthenis, multum in Hunga-  
ria Tibiffana latrocinantes, atroci fusos  
clade, prouincia exturbauit: sarsitque  
quodammodo detrimentum laudis, bello  
Valachico imminutae. Tranquillitatis ita  
rebus Hungariae, exteris studet, et  
cum Cruciferorum Equitum litem pen- 1336  
dentem diremit; Pomerania his, si belli  
expensas soluerent, Cuiavensi, et Do-  
brimensi prouinciis, Polono adiudicatis:  
tum Casimirum inter, atque Ioannem  
Reges, de honore regni Poloniae (nam  
Ioannes vtriusque titulum adflectabat)  
contendentes, consilio ac prudentia, ad  
amicitiam perduxit. Si quando, tunc  
certe Wissogradum excellentium impera-  
torum conuentu illustre fuit. Clarior  
Robertus fama iustitiae aequitatisque,  
qua motus Rex Poloniae Casimirus, Lu- 1339  
douicum, principem Iuuentutis Hunga-  
ricaem, in filium adoptat, haeredemque  
seribit: quam ob rem omnis ei habitus est  
honos. Abhinc Carolus curam ad rem 1342  
monetariam in meliorem statum verten-  
dam contulerat, quae ei postrema  
sunt. Quippe vix eam dimiserat,  
iam maligna corripiebatur febri, quae  
ei vitae finem attulit. Iusta Albae  
persoluta sunt, comitante funus magnia  
pro-

procerum turba , et Casimiro Rege Polonorum.\*

**LVDOVICVS I.** cui res gestae Magni cognomen dederunt, a morte Caroli omnium acclamatione Rex consalutatur, nulla interiecta mora; non secus, ac si tarditatem in eligendo patre, celeritate deferendi filio honoris, vniuersi pensarent. Ac faciebat omnino adolescentem annos septem et decem natum, amabilem omnibus, praeter paternae gloriae decus, mira ingenii alacritas, morum singulari comitate temperata, vnde magna singulorum de eo exspectatio erat, quam ille non expleuit solum, sed superauit quoque. Initio imperii protinus ostendit, qualis futurus esset. Saxones, a Geisa II. in Transiluaniam transducti, suasu, sine dubio Valachorum, in quorum vicinia degabant, impulsi, spreta regis aetate, defectionem aperte moliri, regiosque prouentus venditare. Non tulit Rex effrenem audaciam; sed propere aucto exercitu ad ea, quae feditio turbabantur, componenda processit, interficisque consternationis auctoribus, reliquis

---

\* MADIUS c. 6-27. DANDVLVS in Chron.  
THVROCCZ. c. 89-99. DLVGOSSVS l. 9.  
CROMERVS l. 11. 12. LVCIVS l. 4. c. 14.

liquis veniam dedit: quo facto cum iustitiae, tum clementiae in primis laudem consecutus. Perculit adeo spectatae virtutis fama Bazáram, qui veritus, ne, si hostis esse perseueraret, Regi tam iusto, tamque felici, poenas capite persolveret: se suasque fortunas, lenitati atque mansuetudini eius commendare statuit, reputans nunquam se inimicum Hungarum, sed bello lacessum hostem suisse. Nec spes, quam sibi de Regis magnanimitate fecerat, eum frustrata est. Suscepimus enim est benigne, et, si fidem, quam pignore obligauerat, praestaret semper, iussus de clientela bene sperare. Compositis hic loci rebus, pari felicitate Croatas, Dalmatarumque plurimos, obsequium tentantes exuere, coercuit: benevolentiaeque fama effecit, ut Iadrenses a Venetis, durum perosi imperium, ad se desciscerent; quibus tamen perfidia ducum pecunia corruptorum non minus, ac Italica consternatione praepeditus, imbecille tulerat auxilium. In Apulia sci-  
licet, frater qui fuerat Regis, et si Elisabetha mater priores composuerat inimicitias, scelere nonnullorum, laqueo periit; Ioanna vxore, ut multi ferebant, si non iubente, saltem haud imprudente. Tam infandae atrocitatis dolore peritus Rex, confirmata cum Alberto Au-  
striae 1345

striae, Duce, amicitia nequid domi turbarum oriretur, et Ludouico Caesare, in societatem armorum, contra Neapolitanos adscito; Apuliam, cum infesto exercitu tenet. Cum nemo esset, qui aduersum arma ferre auderet; caput regni ingressus, accepta, a ciuibus obsequii fide, condignas parricidis, pro scelere perfoluit poenas; in his Carolo, Dyrrachii Duci, Conrado, Cantazano, et Canchiae, quae igni cremata est. Rebus, ut putabat, rite compositis, Stephano, Transiluaniae praefecto summa imperii concessa, Rex in Hungariam rediit, simul ac de eo Ioanna comperit, quae in Galliam, metu poenae profugerat, et Ludouico Tarentino interea nupserat: subito Neapolim regreditur, et cum levitatis suae, tum seuerioris Hungarici imperii ostentatione, adeo plerorumque omnium animos demulserat: vt promisum Ludouico datum fallerent, foeminae, quam viro fidentius parituri. Pars melior, intacta pernitiosis consiliis, ad caussam Stephani se adiungebat: qui tamen, etsi ex pugna, cum seditionis initio facta, superior discesserat, ad extremum se multitudini sucubiturum docuit, ni mature laboranti subueniretur. Ludouicus vt primum cognouit procellam adesse periculi: extemplo maioribus, ac ante

ante copiis, in Apuliam proficisci properat. Milite exposito, pleraque capit oppida; iam ad Neapolim copias ad-<sup>1350</sup> mouerat. Quum de oppugnanda vrbe consilia agitat, superueniunt legati Pontificis aientes: *nisi in concordia ciuium spem reliquam duceret, cuncta minus ex sententia stuxura.* Indignati rei magis, ac periculo cessum ea conditione; vt, si Ioanna, cui lis intendebatur, caufsa caderet, a Ludouico, Neapolitani regnarentur: fin contra, Reginae subeffent; atque istud quidem reapse accidit postea, Pontificis maxime auctoritate. Rex, seu quod regnandi Italij cupidine minus, ac credebant nonnulli, incendebatur, seu, quod religionis maiorem, ac dominatio-<sup>1351</sup> nis habebat curam, quicquid euenerat, haud iniquo tulit animo, proximior sollicitudo ad alia reuocabat mentem. Lith-<sup>1351</sup> vani, gens bello aspera, Lodomerian omnibus exercebant iniquitatibus. Indi- gnius haec, quam alia, Rex patiebatur: ac decreta in eos perfectione, non ante copias reduxit, ac hostes e prouincia exigeret, capto manu sua, Luberto duce aduersariorum. Non virtutem, sed fortunam sibi bello defuisse questi Lith- vani, Tataris in societatem affumtis, castris vti decreuerant. Aduersa vtique fortuna, et infelici euentu. Primum ete-  
nim

nim ab Andrea, Transiluaniae praetore, tum ab ipso Ludouico, eo calamitatis perducti sunt; vt satis haberent, ab iusto victore, aequas pacis accepisse conditiones; queis magna pars Tatarorum, ad Christiana acceperat sacra. Posthaec cum domi, tum foris plaereque sedatae sunt controuersiae: vt erat lis Budanos inter sacerdotes; Margarethae Tyrolensis;

1358 ac Polonica de successione. Cum hinc; maiorem tamen egregii facinoris laudem consecutus est Rex, ab erepta e potestate Venetorum parte, quam possidebant, Dalmatiae, et Strascimiro, Bulgariae re-

1363 gulo, ad officium redire coacto. Simultates, quae ei, ob vicinitatem, cum Austriaco Duce, et Caesare intercesserant, aequanimitate, pactionibus sunt composita. Quomiuus Palaeologo, Graecorum Imperatori, contra Aimurathem suppetias, vt conabatur, ferret, partim fiducia virtutis Twartki, quem ex Bosniae praefecto (Bano) Regem fecerat, partim curae Neapolitanae obstitere.

1370 Extinctus super haec erat Casimirus, Rex Poloniae. Turba heic, vt solet, inter magnates subito inceperat; aliis, filiabus vita functi, aliis Casimiro, Duci Stetinensi, ius imperii deferentibus: cum interea Ziemouitus, et Lubertus Duces, summa imis miscerent. Ludovicus ne qua re, adeo turbida reipublicae

blicae Tempestate, sibi deesse videretur  
 matrem Elisabetham, ad deuinciendum  
 gentilitiorum animos, in Poloniam praemittit. Haec ut gratia apud illam  
 gentem multum valebat; sic muliebri  
 eloquentia, virtutis comite, haud dif-  
 ficulter plerosque omnes, eo consilio-  
 rum perduxit; ut caeteris omnibus,  
 in regni administratione, Ludouicum an-  
 teferrent, Rex itaque senatus consulto  
 dicitur, et Cracouiae, quod caput tum  
 fuerat regni, singulari pompa inaugu-  
 ratur. Confirmato sibi regno Poloniae,  
 Valachorum coercuit proteruitatem. 1371  
 Suum his, quod Regem infinitis vi-  
 debant negotiis implicitum, rediit in-  
 genium: principio occultum parabaut  
 bellum, mox elati opinione virtutis,  
 vim aperte moliebantur. Vicit quidem  
 acie hostes Stephanus, praetor (Way-  
 voda) Transiluaniae, cum exercitu in  
 eos proficiisci iussus: at cum audaciis,  
 quam prudentius aduersarios saltus, de-  
 dita opera, petentes insequitur; haesi-  
 tabat deprehensa felicitas. Vix pauci  
 ex insidiis effugerunt, alii vel confos-  
 si, vel, cum nulla spes euadendi es-  
 set, capti sunt. Turpem hanc igno-  
 miniam, illustri victoria sarsit Ludo-  
 vicus; postquam militem ex Bulgaria,  
 Danubio traieco, Valachiae Mediter-

raneae infudisset. Pari fortuna Lithuanos profligauit, Russiamque in libertatem Hungarorum afferuit, constituto praetore, Ladislao Apuliae Duce. Post haec, ob spem recuperandi Apuliae regni, a Liguribus, et Anconitanis suppetiarum caufsa rogatus, Veneticum  
 1378 orditur bellum, triste auspicio, exitu felix: hostes quippe mari terraque superati ut magnam pecuniae vim Hungaro soluere; sic multa ex arbitrio huius, domi militiaeque instituere co-  
 gebantur. His victis Carolus Dyrrachius auxilio, et voluntate Ludouici;  
 1381 Rex vtriusque Siciliae creatur, qui Ioannam, eodem loco, quo Andreas ene-  
 &us erat, laqueo interemit. Id adhuc curarum Regi nostro supereesse videbatur;  
 vt, cum nullum post se relicturus esset filium haeredem, de regno tam Hunga-  
 riae, quam Poloniae bene sapienterque  
 1382 constituendo prouideret. Indictis in eam rem Vetusolum comitiis, Sigismundum Marchionem, cui filiam Mariam desponsarat ( altera Heduige, Wilhelmo, Austriae Duci, collocanda erat ) Polonor-  
 rum legatis pro Rege, de meliori no-  
 ta commendabat. Etsi omnes in obse-  
 quium pronos viderat: tamen postea cuncta secus acciderunt. Nam postquam Rex vita exceferat ( deceffit vero  
 Tyr-

Tyrnauiae, sepultus Albae) Poloni ab Iagellone, Heduigis marito; Hungari autem primo a Maria, tum a Sigismundo regnabantur; quod iam ordiri pergam. \*

MARIA I. tanta apud proceres, po- 1382  
 pulumque Hungaricum gratia valuit; vt praeter morem, dum Albae coronabatur, Rex adpellaretur. Erant nihilosecius principio statim in Dalmatia praesertim, qui muliebre Imperium abnuere videbantur, nec aequo pati animo, vti Elisabetha, sicut publico senatusconsulto iubebatur, dum filia adolesceret, summae rei praes-  
 effet, et Garae Palatini consilio oinna moderaretur. Quae in ipso ortu, Bisse-  
 ni, Comitis Weszprimiensis, prudentia extincta videbatur scintilla seditionum, gliscere rursus coepit, excita seueriore, vt putabatur, Reginarum in quosdam Magnatum animaduersione. Hi enim, quod non nulla oppida Russiae, Iagel-  
 loni Lithuano, per auaritiam vendide-  
 rant, et tali perfidia Polonorum animos

R 2

ab

---

\* IO. ARCHIDIACONVS DE KIKVLEVV  
 Script. Hung. edit. *Trattner.* p. 213 - 248.  
 DOMINICVS DE GRAVINA in Chron.  
 MICHOVIVS l. 4. 5. MATTH. VILLA-  
 NVS Hist. Neap. l. 1. seqq. Decreta Ludo-  
 uici vide in Codice iuris patrii.

ab Heduige alienasse videbantur, post  
quam domum renocati sunt, partim ca-  
pitis damnati, alii in vincula coniecti,  
bonis publicatis. Fax seditionis erat Io-  
de Palisna, Prior Auranae, incensor  
Twartkus, Bosniae regulus; ut ne, si  
flamma belli ciuilis Hungarianam corriperet,  
occupatio, a morte Ludouici, Chulmen-  
sis prouinciae, sibi fraudi esset. Diu res  
occultis agebatur coniurationibus. Elisa-  
betha interim et aetate, et vsu docta,  
cum factionis aduersae consilia, sicut ini-  
tia erant, per nuncios comperta habe-  
ret, in Dalmatiam, cum Maria et Hedui-  
ge filiabus, magna nobilium turba co-  
mitante procedit, et Palisna, Auranae  
praefectura electo, res pro virili, se  
composuisse putabat. Nec Maria, in con-  
ciliandis erga se Hungarorum animis,  
quicquam operae intermisit; id quod et  
publica condocent documenta. Nihilor-  
minus, et si haec prudenter constituta  
videri poterant, auerterunt magis a so-  
cieta Reginarum plurimos, quam vt in  
obsequium reducerent. Sane ab eo tem-  
pore, de euocando in Regem Carolo  
Neapolitano, consilia frequentius, ac o-  
lim agebantur; postquam globum factio-  
nis auxere Stephanus maxime, primo  
Transiluaniae, tum Dalmatiae, Croatiae-  
que praefectus, et Paullus, Zagrabien-  
sis

sis antistes supremus, Auranae prioris  
 frater. Ac mittebantur etiam clanculum 1384  
 Neapolim Legati, qui Regi persuaderent,  
 ne dubitaret, ad fasces accipiendo*s*, in  
 Hungariam traiicere. Pendebat is quidem  
 aliquamdiu animi, postquam vxor maxi-  
 me spem, futuri formidine mali, exte-  
 nuauerat: vicit tamen ad ultimum solli-  
 citudinem cupiditas. Se prosectorum op-  
 pido recipit, monet superhaec: *quae usui*  
*forent, pararent: societatem augerent: prouiderent*  
*cumprimis, ne sibi, neu reipublicae,*  
*profectione illa incommodi quicquam accideret.*  
 Dum haec procella inuidiae ab austro  
 Hungarum calamitatem minatur, vultu se-  
 reniore fortuna ab aquilone ridet. Tan-  
 dem enim, post diutinas, easque ancipi-  
 tes controuersias, Heduige, Senatus Po-  
 lonici consilio, Regina declaratur, sol-  
 lemni ritu Cracouiae inaugurate. Inter  
 haec Poloniae, et, si animo capere po-  
 tuissent, Elisabethae, ac Mariae tripudia,  
 Carolus, cui promissi honores spiritum  
 subdebant, Segniam naues appulit, inde  
 Zagrabiam, velut e specula, faciem re-  
 rum Hungaricarum conspecturus. Post-  
 quam fidissimi quippe compertum attu-  
 lerunt, nihil inde periculi esse, Budam,  
 caput regni, ingredi statuit; misit tamen  
 ex itinere, qui Reginis denuntiaret,  
 se componendarum duntaxat litium cauf-

sa venire; has vbi, ex animi sententia diremisset, sine malificio redditurum. Praeconceperat calliditatem, pro ea, qua pollebat, iudicandi sollertia Elisabetha: quam ob rem vti celeri matrimonio Mariam Sigismundo, iam diu sponso, copulauerat, ita lacrymantem, vt praesentem fortunam patienter ferret, adhortata, laetitiae speciem praeferens, cum Regina, Carolo obuia ab vrbe processit, magnaue excepit humanitatis testificatione, Sigismundo in Bohemiam, ad operem ferendam regreffe. Regem Budam illatum, qui factioni studebant, circumfistunt, suadentque accerime, *pronam ad regnum viam ingrediatur*; et, vt transitio nem omnium facerent, impotens, et crudele Dominarum in se regimen, frequenti vulgo criminantur. Dyrrachius et hic sibi difficile consentiens, tandem *vt Reginis imperium abrogaretur, concessit.*\*

1308 CAROLVS II. cui posteritas cognomen *Parvus* indidit, tristi euentu, regnandi studium, fidei cognitionique antetulit. Educabatur a Ludouico liberaliter, velut in spem regni olim venturus: transmis-

fus

---

\* PAVLLVS DE PAVLLO in memoriali  
LVCIVS l. 5. c. 2. 3. DLVGOSSVS l. 10.  
THVROCCIVS Chron. part. IIII. l. 1 - 6.

sus tamen, rebus mutatis, Neapolim, et pro Hungariae spe, vtriusque Siciliae imperium accipiebat, summa religione pollicitus, nihil ultra se, quacunque specie, postulaturum. Nihilo tamen secius, summam rei ad se pertracturus, in Hungariam venerat, aliorum quidem consilio, at sua cupidine. Ut Albam coronandus proficiscebatur, Reginae, velut in triumpho ductae, iter simul faciebant: quae, dum sollemnisi fieret inauguratio, fanum ingressae, vbi Ludouici marmorea eminebat imago, simulacri ad genua velut prouolutae, nec doloris magnitudinem capere, nec se, et si cuncta ad laetitiam composita erant, a lachrymis abstinere potuerant; verum quaestibus, quos praesens dolor cum indignatione suggererat, non aedem tantum, sed urbem vniuersam, luctu et moerore compleuerant; vt mutatis repente ad misericordiam animis, nisi vel seditiosi, vel fauore, aut minis inducti, vix essent, qui Carolum, Regem, quum a faciali rogarentur, *num vellent*, iuberent. Certe videbatur poenitentiam omnibus, vim ad resistendum nulli adefse. Elisabetha, quae semper pro indignissimo habuerat, se filiamque patrio regno, peregrini audacia pulsam, tanto impensius indi-

gnitas crescebat, cum animaduerteret  
 versam in fortunae offensas miseratio-  
 nem: et plurimos, nunc in veneratione  
 Diui Ludouici, nunc in desiderio Mariae,  
 haeredis legitimae haerere. Consilium ita-  
 que sanguinarium, cum Nicolao Gara,  
 Comite Palatii, de tollendo e medio Re-  
 1385 ge capit. Res quam occultissime ageba-  
 tur, nullis consciis, Maria ipsa impru-  
 dente. Palatinus, postquam has partes  
 ipse exceperat, Blasio Forgácsio, iuuene  
 cum manu forti, tum animo audace, in  
 suam perduto sententiam, specie nuptia-  
 rum filiae, plures armatos, praeter con-  
 fuetudinem, priuatumque comitatum,  
 quem semper illi vacare moris fuit, pa-  
 rat; quibus dat negotium, vt, quod im-  
 peraretur, impigre facerent. Omnibus  
 tandem, quae infidiis opportuna videban-  
 tur, comparatis, Elisabetha, coelo iam  
 vesperascente, Regem obsecrat, ne ad se  
 (vtebatur in arce, haud remoto conclau-  
 si) venire grauiaretur, redditas sibi litteras a  
 Sigismundo, quarum sententiam, e re utrius-  
 que foret cognoscere. Carolus, vel, vt con-  
 fuetudine iram doloremque mitigaret,  
 vel, vt, quod sperabat, de regno sibi ce-  
 dendo comperiret, paucis fuorum comi-  
 tatus sine suspicione fraudis, ad Regi-  
 nam accessit. Opportune profecto ad e-  
 xitum! Ita vndique Regi dolus neci-  
 tur!

tur! Elisabetha rerum leuiorum colloquio locum fecit, Italis de conclaui excedendi. Nicolaus de industria venerat rogaraturus, vt sibi bona vtriusque venia tantisper, dum sollemnia ex se natae fierent, abesse liceret. Agendae autem rei constitutum est tempus, quum Rex litteras sibi traditas, legere coepisset. Dum itaque in eam curam, totus se auerterat, Blasius, nutum Garae, pro imperio interpretans, cum ferro, quod veste tegebat, in Regem inuasit; et postquam fronti lethale infixerat vulnus foras se eiecit. Carolus doloris magnitudine; Elisabetha facinoris metu conscientiae linqui animo, et submitti gena coeperunt. Gara interhaec, suis negotium dat, portas arcis occupandi; et, qui intra muros essent, Italos interficiendi: ne intempesta nocte, fama interfecti Regis, in urbem, vulgusque emanaret. Die postero, prima luce, antequam tumultus, ab re, in speciem atrociore, caussam aliis ignorantibus, oriretur, cohortem militum, cum audacissimorum, tum viribus maximis, ex arce emitit, iussos, vt Mariam postliminio regnare, caeso Carolo, proclamarent, aduersarios, malam punirent morte. Pars maior, nondum penitus Neapolitanis tacta consiliis, laetis haec accipiebat auribus, secuta ex

omni multitudine consentiens vox, ratum  
Mariae imperium fecit. Carolus vero,  
postquam recollecto animo, semiuiuuus  
in conclave suum redierat, ne atrocitate  
caedis, vulgus in misericordiam  
verteretur, Wissegradum in custodiam  
delatus, quum medicamine mixto vene-  
no, vulnus curaretur, quam absque  
regni cupiditate diu retinere po-  
tuisset, animam mature posuit. \*

MARIA dignitati restituta, vbi to-  
tius inuidiam rei a Palatino auerterat, ma-  
trem Elisabetham, vt ante solebat, im-  
1386 perium agitare permittit. Non defuerant  
interim iratum indulgentes ministri, qui  
intemperantes plebeiorum animos ad fa-  
ctionem irritarent: in his Ioannes, Banus  
Machouiensis, Palisna, Prior Auranae,  
et Horuathus, qui vt se duces seditionis,  
sic milites praebuere ad Dalmatiam  
turbandam, Ladislao Regis interfecti qui  
erat filius, in spem regni euocato. Prin-  
cipiis infortunii obicem positurae Reginae,  
comitante Gara, multisque procerum,  
iter in Croatiam Dalmatiamque ador-  
nant, ratae praesentia metum aliis incuti  
posse,

---

\* SCIPIO MAZELLA in vit. Reg. Neapol.  
PANDVLFVS COLLENVTIVS Histor  
Neap. l. 6. THVROCIUS c. 7.

posse , alios ad venerationem perduci. Horváthus , apud quem inimicitarum quae sita erat vltio, de itineris ratione probe edoctus , in loco infidiis opportuno, cum delecta manu confedit. Vt eo ventum est, Blasius inter primus periculum instans detexit , periitque lancea cofossus: Gara vnuis prope omnibus restitit ; qui postquam pro se , Reginisque nobilem edidit pugnam, astu, non virtute deiectus, et ipse tandem , cum missilibus , quorum numero ad mille , aduerso corpore exceptisse dicitur , non posset , telo confuditur , et si quominus id fieret , Reginae fletu et clamore intercederent. Hac caede , metu omnibus incusso , fit fuga a fortissimis quoque , audacissimisque. Hostes , quos maxime oderant , interfecisse contenti , non institere cedentibus : Reginas , direptis thesauris , Nouigradum in custodiam abduxerunt. Scriptores plerique falso memoriae prodiderunt , Elisabetham culeo insutam , aquis Bosvethi perire. Id a veritate non abhorret , Horvathum traditurum suisse Mariam in manus vxoris Caroli , ni Dux Venetorum , qui alterius orae littora , quae Neapolitani colunt , classe tenebat , obstitisset. Dum haec in Croatia aguntur , Sigismundus , superatis tandem omnibus impedimentis , Budam cum copiis aduenit : qui perculsis seditiosorum animis , nutantes,

ac dubios retinuit in fide, bene animatos confirmauit; meruitque cum sua virtute, tum omnium Hungarorum, Legati-que Venetorum affensu Rex pronunciari.

- 1387 SIGISMVNDVS in primordio operum regni, curas intenderat ad liberandam, ex perfidorum manibus, coniugem: de Elisabethae namque obitu iam fama percrebuerat. Ea mente, cum delecta manu, Nicolaum Garam, contra seditiones misit, qui ea felicitate adiutus est; vt breui tempore, Slauonia omni, turbulentam eiiceret multitudinem, ipsum Horváthium, patris sui percussorem, caperet, daturum mox Regi poenas, ni tribuni perfidia, cui custodiendum tradiderat, e vinculis elapsus, in Bosniam perfugisset. Non minori fortuna vni sunt Venetae, quippe qui, non ante ab oppugnando magna vi Nouigrado destiterunt, quam Mariam libertati restituerent: quae primum Zagrabiam, mox hinc cum Rege Sigismundo, incredibili Hungarorum laetitia, Budam peruehitur. Factiosi hac re non tam fracti, quam exasperati, ad vexandum Dalmatiam videbantur; eo magis, quod nulla hinc spes prioris superrabat dignitatis, maxima contra illinc oboriebatur rerum felicissimarum: quoniam et Twardkus, Bosniae regulus, consilio, armis, et pecunia animos inflabat; et Stepha-
- 1388

phanus, Moldauiae praefectus, societatem aucturus credebatur. Priusquam mali contagio plures inficeret, Sigismundus, qui interim consilia, de Academia Budae constituenda capiebat, exercitu, quantum satis videbatur, comparato, primum aduersus Moldauum processit: et 1390 hoc ad obsequium redire coacto, Tvvartkum postea, eadem expeditione, castigandum instituit: et postquam cognouit, morbo obiisse, Bosnis, quos imperio, non voluntate peccasse ferebatur, facile ignoscit, castrum tamen Dobor, in Vfora prouincia, quod capita seditionis eo conflugerant, vi expugnat, Paulumque 1391 Zagrabiensem, et Ioannes Horváthi filium cepit; de quo eas sumferat poenas; quas scriptores nostri, perperam tribuerant patri inflictedas: equi nimirum alligatus caudae, raptusque per celeberrimos vicos, carentique ferro identidem vstulatus, tandem quadrifariam carnificis ense diuidebatur. Huiuscemodi seueritate percitus Dabiscia, successor in regno Tvvvarci, benevolentiam Sigismundi, ac virtutem experiri maluit, seque infidem eius vltro contulit. Hoc nihilo secius rerum statu, 1392 Bajazethes Turca, cum aperte non posset, clam molitur bellum; vtpote cum Mirchen, fiduciariam Hungaris in Valachia obtinentem dominationem, magistratu exueret. Verum expugnata Nicopoli,

li, Valacho restituta dignitas; qui tamen Turcarumne, a Horváthi, non facile dixerim, inductus Artibus, et si in verba Sigismuudi iurauerat, in angustiis saltuum incomposito agmine, ab re bene gesta euntem improuiso adortus, missilibus veneno infectis vndique petit. Periisset, sine dubio, cum imperatore exercitus, ni Gara, assumta cohorte praetoriana, in summum cliui iugum euasisset, et obtinentes locorum iniquitatem, turbatos ictibus crebris, in fugam egisset. Decretum erat exemplum punitae, ut decuisset, perfidiae praebere: enim uero domestici prohibuere casus. Mors in primis Mariae coeptis interuenit, quae tempestatem belli cum ciuilis, tum externi concitura existimabatur. Nec nulli omnino erant, quin principium belli animis prospicerent. Ante omnes Wladislaus iure vxorio, cupidissime appetebat Hungariam, quem aduersarium etiam Sigismundus maxime metuerat. Hunc tamen Io. Kanyfanus, Pontifex Strigonensis; facundia, qua plurimos aetatis suae praestabat, ita conciliauit; ut differendo postea controvuersia penitus elanguesceret. Ut probissime id euenire Sigismundus videret: tamen externas et ipse gratias quae sive rat. Wenceslaum praefertim ac Dabisciam, stipulatione libi alligarat. Singulariter, haec quidem, cogitata suscep ta que.

que. Illud inuidiam iramque multorum <sup>1395</sup> contraxerat, Laczkovichium, ab origine vltima gentis Hungaricae generatum, sua- que non minus, ac maiorum gloria illus- trem, non alia potiore de causa, occi- disse videbatur, quam quod armatus ad comitia, prope Crisium indicta, venisset. In ueteras cebat malum, successu armorum contra Turcos infelici. Fieri non po- tuit, quin in hos bellum suciperetur. Ba- jazethes quippe, cui fortuna spiritus ad- debat, nupera calamitate excitatus ma- ge, quam depresso, cum iudicaret tan- tam contumeliam, sine summa industria, virtuteque extingui haud posse, post va- statam omni genere clavis Bulgariam, Valachiamque, Sirmium sub suam pote- statem ibat redactum. Obuius, in tem- <sup>1305</sup> pore, fit Sigismundus, qua sua, qua Manuels damna reputans: spes etiam rei feliciter gerendae suberat, cum non Hungarorum modo, sed Belgarum quoque, et Galliciae iuuentutis ingens multitudo, ad signa confluueret. Hoc ad numerum, plus minus centum millium exercitu coacto, ad Nicopolim oppugnandam itur: ac con- secuta vtique est initium mira prosperi- tas. Postea nihilominus, simul calliditate Turcorum imperatoris, qui litteras a Palaeologo, de suppeditiis ad Hungaros scriptas interceperat: simul ducum exer- citus nostri contentione factum est; vt ho-

hostes acie superarent, et si cruenta victoria, cum nostrorum XX. admodum, Turcarum LX M. desiderata fuisse perhibentur. Sigismundi audaci incepto, a fuit fortuna: vtpote qui elusis aduersariorum insidiis, secundo Danubio Constantinopolim, ignobili defluxit nauigio; hinc in Dalmatiam appulsus, terrestri demum itinere, in Hungariam incolumis quidem, sed inglorius reuertit. Interea,  
**1398** dum longis erroribus ageretur; Turci populatione agrorum, atque incendiis villarum prouincias exinaniebat, magna colonorum multitudine in seruitutem abacta: praetores Transiluaniae ac Moldauiae a fide disciscebant: Bosnia mortuo Rege Babiscia, multum ciebat turbarum: Her voja, aliis Hericarthus, Dalmatiam, quod pro sociis timeret, Ladislao Neapolitanō occupabat. Non minimum inde pa uoris Sigismundo iniectum, vt, cum vi deret in arcto res esse, Hedvigis obitu mala comulante, alterutri, vel fratri  
**1399** Wenceslao, vel Iodoco patruo, Mar chioni Morauiae, faceret potestatem, se extinto, regundae Hungariae, quodsi o pis alienae indigentem subleuarent. Cum neuter propinquorum, speratis iuuaret auxiliis; ab Hungaris, praeter cladem acceptam, amissum Dalmatiae indigne ferentibus, et pro socordia negligentia que plurima infeliciter acta querentibus, in

in vincula coniectus est publica, Sokloſini, an Wiffegradi non facile adfirmari; ex quibus opera Nicolai, et Ioannis de Gara, post quadrimestre temporis spatium, sedata procerum indignatione, liberatus est. Ereptus hoc modo calamitate; vt ad Hermannum, Cilleiensem Comitem, pars facinoris huius pertineret, cuius filiam, nomine Barbaram, \* ea sine dubio de cauſa, vxorem duxerat, cum Alberto, Austriae Duce, cui Hungari ſpem dominationis iniecerant, de ſucceſſione in regno, quanquam antea iam, vt dixi, Wenceslaum et Iodocum, opinione tantae rei iimpleuerat, ita tranſegit; vt, si ipſe ſine filio haerede decederet, Dux Hungaria potiretur: filiabus, ſi quas procrearet, optime prouideret; et, quodſi pacto conubii vincirentur, ſingulis centum aureorum numum millia, dotis loco numeraret. Offendiffe exulceratos Hungarorum animos ea re magis vi-debatur, quam ſibi conciliaffe. Saltem haud pauci, ad Ladislaum Neapolitanum deficiebant: qui reapſe, Bonifacii Pontificis

---

\* Vid. Cel. IO. COTTL. BOEHMII ſingu-larem tract. Barbara Sigism. Imperat. con-iuge.

ficis Dalmatarumque, et Croatarum propitia in se voluntate, Regem se Hungariae gerebat; trahebatque in societatem ut multos, sic postea Stephanum de Debren praetorem Transiluaniae, hominem ancipitis animi. Verum postquam Sigismundus, et vim hostibus opposuerat, et legem obliuionis promulgarat; qua cautum fuit, ne quis anteactarum rerum accusaretur: utriusque aduersarii retudic audaciam, atque pace composita, prudenti consilio, plurima sanxit Hungariae saluti futura, Horváthio quoque, frequentibus turbis famigerato ignouit, quo minus hostilia resumeret. Atque voluit etiam non minus prudentiae, ac tantae moderationis fama, quam intima cum Wenceslao propinquitas; ut ab Electoribus Rex Germaniae diceretur. Quo honore auctus, desponsa Alberto Austriaco sobole vix trimula, primo Iglouiae item Polonorum cum Cruciferis, et suam de Russia, Podolia, atque Moldauia componebat: tum Budae, quo Wladislaus quoque Rex aduenerat, cum Polonis de pecunia mutanda, qua ad Bellum Venetium, vel maxime indigebat, ita transegit; vt XIII. Scepusii oppida, illi tamdiu pignoris nomine haberent, donum cum septem, et triginta millia sexagena rum, quales tum Bohemis in usu erant, la-

1409

1412

latorum grossorum redderet. \* Quieta tandem vtcunque Hungaria, et si bellum Veneticum (vendiderat his Ladislaus Neapolitanus partem Dalmatiae, quam se armis retenturum diffidebat) ducum perfidia, parum ex sententia gestum est, animum ad res coetus sanctioris corrigendas aduertit; aditaque Germania, Gallia, Hispania, Anglia, et Belgio, Principes ad concilium Constantiae indictum inuitauit; est postquam magna virorum frequentia conuenisset, Pontifice Martino V. consti-  
tuto Ioannes Hussus, et Hieronymus Pra-  
gensis violatae religionis damni, igni  
exusti sunt; id quod magna Bohemorum  
seditio consecuta est, nec sine summo  
labore, plurimoque effuso sanguine tan-  
dem consopita. Interim in Hungaria non-  
nihil acceptum est calamitatis. Hervoja  
quidam, Spalatensi praefectura rebellio-  
nis cauffa, ab Sigismundo olim pulsus,  
cum se ope Turcarum priori dignitati  
restituisset: vt pro bene meritis, gratiam  
aliquam, his ex alieno referret, potesta-  
tem fecit Bosniae, quae in Hungarorum  
Clientela, pro libitu vexandae. Bi-  
lem id nostris, vt opportebat, merito  
S 2 com-

---

\* De his reddendis omnibus sere comitiis age-  
batur vid. Codex Iur. patrii. donicum anno  
tandem 1772 recuperarentur.

commouit; vt ducibus Ioanne Gara, Ma-  
rothio, et Paullo Csuporio, hostem la-  
trociniis occupatum inuaderent, ex fini-  
bus eiecturi. Res a concilio, cum neutri  
pugnam detrectarent, ad manus tran-  
siit. Vrgentur acriter vndeque barbari.  
Dum Hervoja, callidissimo inuento usus  
a turmis Hungarorum, quos secum habe-  
bat, nostris in ardore proelii constitutis,  
velut socii essent, acie victi, ad tristitiam  
et pauorem composito sono, fugam sus-  
dere iubet. Qua fraude cum plerique  
armis abiectis, latera nudassent, accidit  
vt Hungari, iam prope omnium victo-  
res, superarentur, eo calamitatis redacti  
quo ipsi duces, in captiuitatem peruen-  
tent, magno pretio in libertatem olim  
vindicandi: praeter Csuporium, qui Cu-  
leo insutus, in aquis, morte luerat lin-  
guae temeritatem: quod, dum fortun-  
erat secundior, Hervojam, ob morum  
rusticitatem; bouinum imitatus sonum  
intempestive consalutaret. Factum scilicet,  
ne quis, prae se, alium ita despiciat  
vnquam; quin periculum, ab inus-  
lido quoque, sibi oborturum existimet.  
Super hanc acceptam ab Hungaris cla-  
dem, Stephanus Loffoncius, praefectum  
Valachiae Mirchen, a Daano quodam  
auxilio Turcarum, fortunis multatum,  
ad pristinum honoris gradum euecturus,

cum

eum parte copiarum misere interiit. Ad  
 has publicas priuata acceſſerat iniqitas  
 fortunae. Barbara nimirum, cui ſumma  
 rerum, dum Rex abefſet, data fuerat,  
 minus caſte ſancteque ſe habitam, Sigis-  
 mundo ſuſpicionem fecit, vt quum redi-  
 iſſet, Varadinum, in exilium veluti, ire  
 iuberet. Foris re cum Polono, aliisque  
 composita, domi itidem coaluit: vxorque  
 regia pecuniam, quae ex metallis Hun-  
 gariae redibat, quod Slauoniae tributo-  
 rum fluxa erat fides, accepit. Atque re-  
 grefſo ex Germania Rege, Hungaria o-  
 mnia videbatur reflorefcere. Cū Mā-  
 nuel Palaeologus, Graiorum imperator,  
 tum legati principis Turciae Budam adie-  
 rant; vtrique pro ea, qua pollebant  
 dignitate, accepti. Sed ab his quidem,  
 non ita multo post, indigniſſimam cepit  
 Rex gratiam, quandoquidem bello, quod  
 ob caſtrum Galambocz, conflatum erat,  
 composito, parum aberat, quin barbaro-  
 rum ſcelere, vitae adiret periculum. Pa-  
 ce videlicet, fine dolo malo facta, Rex  
 Danubium copias traicere iubet. Barba-  
 ri, quibus vindictae, quam fidei, potior  
 cura fuit, viſo locum infidiis datum,  
 Regem in citeriore fluuii ripa nihil hosti-  
 le timentem, latronum more adoriuntur;  
 cepiffentque, procul dubio, niſi Stephanus  
 Rozgonius Iembum derepente ſol-  
1419  
1423  
1438  
 uiffet,

uisset, ac sui immemor, Dominum praefenti eripuisset periculo. Quominus tantam vltum iret iniuriam, praeter infinitas sollicitudines, Bohemorum vsque in Hungariam procurssiones obstitere: vt propter qui discordia nostratum ducum, primo dioecesim propter, Vagum dein vrbes quoque metallicas impune perpopulabantur. His tamen malis, ne regnum vltro foedaretur, quoquo modo auerfis, Rex diademate imperii Germanici Romae

**1433** coronatus, icto cum Venetis ac Florentinis foedere, quo Spalatum ac Tinninum, nobilissimae Dalmatiae vrbes ad Hungariam redierunt, Basileam concessit, de rebus sacris, Boemicisque consilia cum

**1436** principibus exquisitus viris. Interim Turcae Seruiam occuparunt; vtut postea semel atque iterum ab Alberto Austriaco, magna repulsi clade. Sigismundus pluribus implicitus curis, praesertim Bohemorum, Iglauiae comitia agit. Ut anno priore Hungariam eximia legum sanctione ornauerat: ita nunc, super varias lites, de Scepusii oppidis, quae oppignorarat, redimendis agendum existimat. Tamen magna contentione, nihil effectum est; cum neutri legatorum iure suo cederet induxerint. Ingrata res Principi quietis cupidissimo eo magis erat, quod vxor Barbara, viuo se, fidem Polon-

lono addicere videbatur. Ne quid ex  
praecipiti consilio, in vtramque rempu-  
blicam, mali redundaret, Znoimae, in 1437  
Morauia, regnorum haeredem Albertum  
Austriacum scripsit, cum filia sua Elisabe-  
tha; Reginamque custodia afferuari praee-  
cepit. Breui post, matura decessit sene-  
tute, Varadini ad latus Mariae, magna  
funeris sollemnitate monumento imposi-  
tus. \*

ALBERTVS AVSTRIACVS, post-  
quam recepisset, insciis ac inuitis Hun-  
garis magistratus exterros non acceptatu-  
rum, suffragio vniuersorum, Rex dicitur;  
ac, dum annus iam in exitu esset, Al-  
bae coronatur. Concordia, et amoris 1438  
sincera testificatione imperium stabiliri,  
quin propagari existimans, socrum custo-  
dia eductam, benigne et iuxta cultum pri-  
stinae fortunae habuit. Ac tulit etiam  
pietatis suaē, haud ita multo postea,  
praemium. Nondum enim annus abie-  
rat, cum nequicquam repugnante gente  
Hungarica, votis omnium, Bohemiae

S 4

Rex

\* PAVLVS de PAVLLO in Memor. WIN-  
DECKIVS c. 4220. SAIDINVS in Orig. et  
progr. Dom. Ottom. p. 183. seqq. GERAR-  
DVS de ROO Hist. Austr. l. 4. THVRO-  
CZIVS, par. 4. c. 16. LVCIVS l. 5. c. 2.  
seqq. DVCANGE in Fam. Dalm. c. 9.

Rex deligeretur. Ad gerendam nouam rem publicam, vbi in Germanis versatur, ius suu Elisabethae Reginae Loffonczius, Turcas Transiluaniam late populantes, in fauibus montium opprimit; praedamque eripit vniuersam. Barbari cum manubiarum, tum famae iacturam grauiter passi, quod Transiluaniae timebant saltus, cum tantis copiis Seruiam inuaserunt; vt Georgius, regulus prouinciae, Despotam nostri dixerat, haud immemor suarium virium, Hungarorum auxilia circumspiceret cogeretur; et docere: *ni sibi mature superpetiae ferantur, fore; vt, cum aduersario, per se, et si cum instructis copiis obuius sit, resisti non posset, res ad incita, redigatur*

1439 His bene compertis Albertus, vbi cum Wladislao, Rege Poloniae, cuius frater Casimirus, in spem Bohemiae obtinenda ingreitus erat, sex mensium inducias per pigisset, maxima cura bellum Turicum moliebatur: tantoque id magis, quod non Seruui solum, sed Hungari quoque spiritus hostium reprimendos fremebant. Impedimentum rei celeritate, qua oportebat, gerundae fecit Barbara, quae ad aucupandum Wladislai amorem, vrbes Hungariae metallicas sibi a Sigismundo olim concessas, Hungaris abalienare videtur. Rex, ne vel domesticus, vel exter hostis sibi accederet: cum legatos de

pace fouenda, in Poloniā misit; tum comitiis ad Pesthum indictis, iura de rei Publicae salute, patrum consilio, sanciuit. Turcae interea Senderouiam, summa vi, operibus tormentorumque omni generi, ex Thracia aduecto, oppugnabant. Eam ut obsidione eximeret, maximis itineribus ad hostem ferebatur. Sed fera fuerat omnis feltinatio: quippe cum Amurathes, vrbe potitus, quod extreum autumni tempus ingruebat, vasis conclamat, in hiberna educeret militem. Albertus a spe vindicandae iniuriae deiectus, Budam rediit: et paulo post, contracto ex immodico peponum, quorum cupidissimus erat, esu morbo, Vindobonam iter faciens, in vico ignobili (Neszmély, an Mogyer, vel Hoszszúfalu sit, non conuenit) vitam cum morte commutauit; Albam tamen, lacrymante senatu populoque deuictus est: ad maximos olim venturus Imperatores, ni praecox lethum spes hominum certas fetellisset. \*

ELISABETHA, quae non minus pa- 1440  
tris, ac procerum voluntate, mariti im-  
S 5 pe-

---

\* Vid. IVS PATRIVM. WINDECKIVS c.  
222. apud Menckenium Script. rer. Germ.  
AENEAS SYLVIVS Hist. Boh. c 55. 55.  
THVROCZIVS c. 27. RANZANVS  
Ind. 21. BONFINIVS Dec. 3. l. .

perio successerat , Turcorum ambitione ,  
 impendentem regno tempestatem euitatu-  
 ra, Wladislao, Poloniae Regi in quo summa  
 spes fuerat liberandae Hungariae , ea con-  
 ditione , principum hortatu , nupturam  
 se pollicita est ; ut , si filium pareret (vte-  
 rum namque gerebat) is summae imperii in  
*Austria, Bohemiaque praeesset; nascendus ex*  
*altero connubio Hungaris dominaretur.* Con-  
 silium ad formandum rerum praesentium  
 statum prudens omnino , ac vtile videba-  
 tur. Mittuntur itaque , qua Reginae ,  
 qua procerum arbitratu , qui dotis nomi-  
 ne Wladislao regnum offerrent. Interea ,  
 dum legati iter in Poloniā faciunt , Eli-  
 sabetha filium mirae pulchritudinis enixa  
 est , cui nomen Ladislaus inditum. Fle-  
 xit subito prolis eximia caritas , mulie-  
 brem animum ; incessitque facti poenitu-  
 do ; ut consilia sua , aliorumque damna-  
 ret , et ad reuocandos actutum nuncios , de-  
 suis , quos habebat , fidelissimos mitteret ,  
 testata se eis commissa rescindere. Atque  
 ab hac demum animi inconstantia , bel-  
 lum ciuale , quod Hungariam diu foede  
 lacerabat , caussas cepit. Magna enim o-  
 ptimatū pars negabant , adeo turbido tem-  
 pore consilia , queis cuncti assensisse , immu-  
 tanda ; nec esse exspectandum , donec hostis ,  
 rege admodum puero , regnum euastaret. Nec  
 nulli

nulli erant, quibus displicebat, sub persona tenelli Regis, indignorum subiici imperio. Legatos itaque monent, ut mandata peragerent. Hi et si vim regiae maiestatis timebant: tamen variis dilationibus imperium frustrati, principum iussa exequuti sunt, Wladislaoque multis verbis persuaserunt, ut tandem ad administrandam rempublicam Hungariae, animum adiiceret. Elisabetha se calliditate delusam videns, infantem vix tres menses natum, postquam Alberti tutelae, cum administratione Ducatus Austriae, donec adolesceret commendasset; Albae sacra redimendum iubet corona, astu muliebri posthaec subducta (operimento, quo clausa erat, alterum pari magnitudine, tantaque similitudine, ut discerni haud facile posset, opera administrare subiecerat) existimans fore, ut, quem ius patrium, consuetudoque forensis Regem fecisset, si non universorum, saltem, qui moris maiorum, gentiumque tenacissimi essent, caritatem retineret. Itaque reapse accidit. Nihilo secius aduersae factionis duces, praetoriania cohorte armis Polonorum disiecta, Wladislaum Budam, eximia comitatum pompa, inducunt: ubi is simul Bosniae, ac Seruiae legatos regnum sibi gratulantes audiuit; simul ab Reginae partibus complures abalienatos, in fidem

acce-

accepit : in his Nicolaum, Transiluaniae praefectum; Dionysium vero, summum Strigonii praesulem, et Ladislaum Garram, ad conuentum, publica fide euocatos, non ante e manibus dimisit, quam ille se coronaturum, hic in obsequio mansurum, data dextra, promitteret. Elisabetha ut audiuit, rem vi, et fauore agi, nonnihil quidem perturbata est : caussam tamen suam minime deseruit ; scripsit contra, ad praefectos copiarum vrbiumque, hortata vniuersos : *ne a sacramento miliae, et obsequii, quo se Regi legi imo obligarant, deficerent : neu se aduersariorum permitterent potestati; facerent potius, quod viros fortes, ac fidei, quam aurae popularis sequatores occipere condecet.* In primis Caffouiam, urbem tum validam, et ad omnia opportunam, religionis admonet : spondet vniuersis auxilia, ex Bohemis morauisque, in tempore adfutura : ac, quominus duces prouinciarum desiderarentur, Georgium, et Ioannem Giscras, vrbes metalliferas, Aximithum Telefumque terram Scepusiacam, affinesque; Cileium, Iaurini munimenta defendere iubet. Nec tamen vel hoc modo ita se rebus domesticis munitam existimabat; quin externa auxilia, ad vim propulsandam circumspiceret. Ea mente sicut filium Friderico, Germaniae Imperatori tuerendum

dum educandumque tradit: ita coronam 1441 Hungariae, bis mille et quingentis florēnis, et Sopronium octo aureorum numum milibus oppignorat, rata se his constitutis, et amicitiae, et inopiae suae inferuituram. Ac viii sunt omnino conatus, ex sententia prouenire; quod et Vlricus Cileianus libertati (nam ad Laurinum, ex fuga retraētus erat) restitutus, ab Austria validas trahebat copias; et montanae regiones aduersarios non tantum non admittebant, sed propellebant etiam; et Ladislaus Gara, cum Wladislao fidem addixerit, Dalmatas, Croatasque, pro Ladislae Rege armabat. His percitus Wladislaus, qui demta de capite D. Stephani corona redimitus erat, et, post abrogatum publicae Ladislae imperium, Rex constitutus, diuisis partibus, Giscrae sociisque, Perényium; Vlrico, Bánfium; Garae opposuit Hunyiadem: et hic quidem hostes, haud magno certamine superat, ipsumque ducem cogit, se ex fuga Strigonium, ad Reginam conferre: Bánfius e contrario, cum fidentiore animo, quam cautius pugnam cieret, castris exutus, in hostium venit potestatem. Minime exigua haec fuisset rerum Wladislai iactura, ni is pactiones Cileianos, quorum multa in Dalmatia Slauoniaque erant hæredia, a partibus Elisabethae auulsisset,

et

et suis, secunda fortuna, addixisset. Non minus prospero hoc consiliorum euentu, quam fama, virtute Hunyiadis, in Transiluanico bello, superati Turcici exercitus ( ferunt XV. hostium millia occidisse, tormenta cum impedimentis amissa ) permotus Rex, ut tandem Hungaria omnis, sub ius iudiciumque suum veniret, cum delectissimis legionibus Caffouiam tendit, sperans, si hanc principem cepisset urbem, oeteras exemplum secturas; saltem minori cum labore expugnari posse. At Giscra, auctus Bohemorum supplementis, in fugam conuerso Perényio, ita Wladislaum perterrituit, ut discessum ab urbe, quam oppugnabat, fugae similem ficeret. Eisdem temporibus, Simon Rozgonius, vel Regis destinationi velificaturus, vel caedem acceptam vlturus, in prouincia ad Vagum Granuamque populationem adeo efusse fecit; ut nihil propemodum bello intactum relinqueret. Sensit hanc calamitatem Schemnicium praesertim, ubi non sacris, non publicis priuatisque aedibus parsum, prorsus ut non tam publicae iniuriae vltor extitisse, quam priuatarum licentiam quaeſiuiffe hostis videretur.\*

Dum

---

\* Exposita haec sunt prolixius, in eo libello, quem olim de SCHEMNICIO GLORIOSO confeceram, cuius epitomen iam vulgauit.

Dum haec apud nos geruntur, Zudar  
vir maximi consilii, diues praeterea o-  
pum, auctor fuit Elisabethae, cuius  
partes paullo ante amplexus erat, vt,  
ad abolendam infidiae famam, coronam  
filiumque a Friderico repeteret. Fecit  
illa haud grauatim, quod suadebatur: at  
Caesar, vt gratia et auctoritate multum  
moueretur, ante neutrum se facturum  
edixit, quam, pecunia sibi redderetur;  
leui scil, aura spei obiecta delusum se  
iri metuens. Giscra etsi non ignorabat 1442  
pacis consilia agitari: haud tamen re-  
misit animum a colligendis contra ho-  
stem viribus, quibus quandocunque for-  
tuna data esset, ad bellum vteretur.  
Eo rerum statu, occasio videdatur op-  
portuna, Agriae actutum diripiendae. Te-  
lelus cum leui armatura eo missus, qui  
captam quidem expilarat; sed in reditu  
caesus, partem militum, praedam omnem  
amiserat. Ne Giscra vel calamitatem  
suum armis vindicaret, vel fortunae  
prosperitate euectus, maiora moliretur:  
spe nuptiarum neptis Rozgonii iniecta,  
ad partes trahebatur regias; quae con-  
ditio ita ab eo audita erat, vt eam  
non neglegi satis appareret: in primis  
cum auditione, licet tenui, percipieba-  
tur, Hunyiadem Wladislai copiarum su-  
premium ducem LXXX. Turcorum mil-  
lia,

lia, in faucibus montium Transiluaniae, quam populatum ibant, cum XVM. suorum ita delesse; vt praetore amissio, pauci fuga saluti consulere potuerint. Secundiore hac rerum commutatione, ad conciliandam vtrinque amicitiam, furus Julianus Cardinalis, cum regiae maiestati, aliquid Elisabethae, Ladislai que iuribus existimabat deberi: eo sollicitudinem omnem conuerterat; vt necessitudine bellum intestinum componeatur. Spes etiam rei affulserat maxima, postquam Wladislaus Elisabetham Iaurini, haec rursus Budae Regem conuenisset: concidit tamen, vbi triduo post, ac reuerterat, Regina morti oculabuit.\*

VLADISLAVS I. a morte Elisabethae difficilius, ac existimabat fore, nactus est imperium, idque cum defectione Dionysii Archiepiscopi, et Ladislai Garae, quos sibi paullo ante conciliarat, tum inimicitia Friderici, caussam posthumam, pro virili defendere connisi; ad quae mala hostilitas Turcarum

---

\* PHILIPPVS CALLIMACHVS de reb. Vladislai l. 1. 2. Cel. COLLARII Annal. Vind. Tom. II. p. 30. sqq. P. GELASIVS DOBNER Tom. I. Monum. hist. Boh. THVROCZIVS c. 28 - 39.

rum acceſſerat. Vt barbarum, hortatu  
Pontificis maximi, inprimis debellaret,  
et, si fortuna vellet, Europa omni e-  
iiceret; cum Caesare Germanorum indu-  
cias pacifcitur. Rebus domi atque foris  
compositis, Bulgariam cum exercitu te-  
net. Io. Hunyiades cum expedito ag-  
mine anteire iussus, fracto pluribus veli-  
tationibus hoste, Sophiam Nissamque  
vrbes cepit, caefis II.M. ( nostri XXX.  
falso memorant ) et IV. captis, qui vr-  
bi auxilio veniebant. Inuitati fortunae  
prosperitate Hungari, Thraciam infestis  
armis tentare instituunt. Difficilis aditu  
erat regio, partim ob montium, quibus  
a Moelia separatur, altitudinem, viarum  
que iniuitatem, partim propter vim ho-  
stium, qui praeter naturae, alia muni-  
menta verticibus iis, quos infederant,  
circumiecere. Nihiloſecius Hunyiades,  
vir audaciae promptae, quaſi inexſu-  
tabilibus vim adlatus, primus inuadit  
in rupem, hostesque intra montes ster-  
nit, capto duce agminis Garambo. Rex  
tamen, quia non cominus pugnam, ſed  
procul, locis oppugnandis futuram ani-  
mo praecipiebat, autumni ſuper haec  
extremum adpropinquare iam videbatur,  
exercitusque difficultate rei frumentariae  
laborare, vtut Hunyade et Iuliano re-  
nitentibus, ſtatuit retrocedere. Signum

T

datur

datur receptui. Saluti erat, qnod sensim, et intrepidi sese recipiebant. Reditum itaque est Budam cum ostentatione non fiduciae modo, sed etiam victoriae, **1444** solemnesque decretae supplicationes. Auxerunt communem laetitiam multorum principum legati, ad Regem missi, Ioannis vtpote Palaeologi, Eugenii Pontificis, Venetorum, Genuensium, ac Philippi Burgundi, qui, vt victoriam gratulabantur; sic monebant vniuersi, vt ne incepto desisteret, subsidia cuncti polliciti. Reapse Itali cum Burgundis, classem LXXX. triremium comparabant, Scanderbego Graeciam omnem ad armis vocante. Non latebant haec Amurthem, qui eo magis ab hoc latere fibi timebat: quod a tergo Caramanniae praefectus, sub idem fere tempus, a fide defciuerat. Hunc principio in ordinem redactus, specie redimendi ex captivitate Garambi nuncios Budam mittit; re autem vera, pacem vt conficerent. **Sa-**  
 stagebant hi, vt decebat, rerum, eoque perduxerunt Wladislaum, vt imprudentibus sociis, inducias annorum decem, cum summa fide, barbaro concederet. Vix foederis sanctio vulgata est: iam poenitudo animum Regis, iraque in hostes cepit; cum nunciaretur classem Italiam Hellespontum occupasse, daturam que

operam, quominus Turcae ex Asia in Europam traicerent: Palaeologus occasionem opprimendi indigne graffantis aduersarii ostenderet; ac Georgius Castriota spem prorsus indubiam offerret. Itum subito iuisset ad arma, ni pacis sacramentum conatibus obstitisset, quo tamen Julianus exsoluit postea cum Regem, tum proceres, cauffam praetexens: *foedus inconsultis, factum esse sociis; nec hostem conditionibus stare.* Postquam omnes ferme Ora tori assenserunt: Szegedino Orsouam, inde Vidi num, ac postea Nicopolim castra promota sunt, minore tamen, quam ad tantam expeditionem conficiendam at tinebat, exercitu, vt Valachiae regulus miraretur, tam exiguis copiis Amurathi, potentissimo principi, obuiam iri, qui plures interdum, venandi cauffa, armatos secum traheret, quam Hungari in praesentiarum sub signis essent. Ac cooperat etiam ab incepto dehortari: edocet tamen de sociis, ne rei christiana defuisse videretur, adiunxit e numero suorum IVM. filio imperatore. Intrata subinde est Thracia, sine incommodo, concisis Turcarum VM. plurima oppida vel vi, vel ditione capta sunt, Turca pacis fiducia fecuro, et nihil hostile metuente. Amurathes, cui animus in propulsando bello, contra fas, vt credebat, illato, non defuit, elusis, vel corruptis classia-

riis Italicis mira celeritate copias in Europam traduxit: Castriota quoque, cum Paiaeologo spem magis ostendisse, quam opem attulisse cernebantur, que sti a barbaris insessas viarum angustias. Vladislaus opinione auxiliorum falsus, quod in loca ventum erat, vnde sine dedecore et iniuria rediri non potuit, armis decertandum decreuerat. Castra posita sunt ad Varnam, fatalis cladis Hungarorum. Amurathes et si videbat, pugnam loco hosti opportunissimo (nam qua paludibus, qua collibus vitiferis tegebatur) sibi contra alienissimo fore: tamen fretus numero copiarum, signa infert. Verum tanta virtute, primo im petu repulsus; vt, ni a suis reuocatus fuisset, exemplum fugae fecisset omnibus. Suppuduit facti: resumto spiritu, paucis turpitudinem audacia virili emendatus, territos castigat: aciem luxatam reficit: proelium denuo accedit. Pugnat tur diu anciipi fortuna, quae rursus ad Hungaros inclinata, barbaros perculit, qui, sine dubio, memorabili clade superati fuissent: ni et plerique Ducum militumque, rati hostem vbique prostratum esse, praede, quam proelio intentiores fuissent, et Rex ipse, iuuenili impetu abreptus, existimans Hunyiadem totam victoriam, vt suam interpretaturum, in confertissimos barbarorum cuneos, fese immi-

immisisset, et, cum renocare gradum turpe existimauit, fortissime pugnans occidisset. Vulgata Regis caede, bene copta, pessime cedebant; vt nostri, qui paullo ante victores viguerant, terga dare congerentur. Amurathes hostem loco mouisse contentus, non institit cedentibus; quod amissio exercitus sui robore Hunyadem, quem cum fortissimis suorum cladi superesse, non ignorabat, laceffere consultum esse non duxerat. Cecidere ex nostris praecipui Simon Rozgonius, et Ioannes, ille Agriensis, hic Varadiensis Episcopus; Stephanus item Bathorius, Nicolaus Perényius, Henricus Thamassius, alii: Iulianus in reditu, a latrunculis periret. Hunyiades Hungaris ex fuga collectis, per Valachiam, (vbi parum liberanter initio, a Dragula suscepimus erat, sed tandem muneribus donatus) in Hungariam incolumis peruenit; et dilato, in vindictae occasionem, odio Amurathis, comitiis Pesthanis interfuit; vbi de reducendo Rege et Hungaria ab hoste defendenda agebatur. \*

LADISLAVS V. POSTHVMVS post- 145  
quam infelici clade Wladislai, ad interre-

T 3 gnum

\* CALLIMACHVS in reb. Wladislai l. 2. 3.  
AENEAS SYLVIVS Hist. Europ. c. 5. et E-  
pist. 44. 62. 81. MARTINVS BARLETIVS  
Chron. Turc. l. 1. THVROCZIVS part. 4.  
c. 40-43. DLVGOSSVS Hist. Pol. l. 12.

gnum res redierat, communibus Hung  
 rorum votis a Friderico Caesare, ad su  
 premium capeffendum honorem reposce  
 batur. Id et si plerique omnes aequitat  
 in primis tam turbido regni statu, dandu  
 esse censebant: tamen negatum est. E  
 quo accidit, vt Hungari, Ioanne Huny  
 de, Gubernatore regni declarato, bellum  
 Caesari indicerent, ad quod gerendu  
 dux ipse Interrex electus est; qui Tu  
 cis fiducia victoriae, ad Sauum usque  
 graffantibus, inopinato proelio caesis, Vi  
 rico Cileiensi, Croatiam vastante in ordi  
 nem redacto, et Valachiae praetore (Dr  
 gula) tum ob priuatam iniuriam, tum o  
 timorem deficiendi ad Turcas, opprepresso  
 magnam nominis sui famam, nouis auxi  
 1447 virtutibus. Postquam fines Austriae or  
 mni clade belli semel atque iterum vasta  
 rat, induciae tandem conuenere biennes.  
 Bello hoc tranquillato magis, quam com  
 posito, Interrex nihil habuit antiquius,  
 ac vltionem de barbaris sumere, et in  
 flictam clade Varanensi nomini Hungarico  
 maculam eluere. Nec deerat, poscenti  
 proelium occasio, hoste potestate in con  
 flictus vltro faciente. Apud Seruios, in  
 1448 campo Merularum (Rigó Mező) arma col  
 lata sunt. Biduum pugnabatur. Die prior  
 e, hostis periculo res steterunt: alte  
 ro, pugna Hungaris funesta fuit, Var  
 enensi timillima. Id nostris quopiam erat  
 sola-

solatio, quod aduersariorum XXXIVM.  
 occiderint, cum ipsi vix VIII desidera-  
 rent. Plurimi tamen duces vel mortem  
 oppetiuerere, vel, quod morte grauius e-  
 rat, in duram abducti sunt captiuitatem  
 seruitutemque. Hunyiades ipse, a palan-  
 te exercitu, locis auiis deerrans, in ho-  
 stis incidit potestatem. A praedabunda  
 multitudine, quod quem, et quantum  
 virum cepissent, ignorarent, in custo-  
 diam duorum traditur militum. Hic et  
 magnitudinem futuri periculi, et occasio-  
 nem potiundae salutis a fortuna sibi da-  
 tam reputans (de cruce aurea Interre-  
 gis barbaros contentionem habuisse, no-  
 stri perhibent) exspectatione celerius,  
 alteri custodum acinacem eripit, et hoc  
 velociter confozzo, alterum pauore in fu-  
 gam egit. Hoc discrimine defunctus,  
 Rasciae regulo, vincula sibi minitante,  
 sponsonibus placato, Szegedinum ad co-  
 mitia, longis erroribus actus, deuenit:  
 Vbi, licet res haud ex sententia cecide-  
 rit, consolati vniuersi ob exantlatas ca-  
 lamitates, monent: effet in magna spe  
 prouinciae bene administrandae. Erexit  
 tam prolixa amoris testificatio, demissum  
 quodammodo tanta aduersitate animum,  
 incenditque rursus ad gloriam, et utili-  
 tatem gentis quaerendam. Bohemos pri-  
 mum, ad Carpati radices, multa noua

molientes (dogmata quoque Hussi propagabant) repressit: tum Rasciae praefectum, regioni derepente infuso milite, ad obsequium Hungarorum redire coegit:

1451 tandem cum Io. Giscra, a quo quidem proditione, nocte intempesta caesus, et castris exutus erat, pacem aequis conditionibus pepigit. Itaque domi turbis compositis, foris Turca oppugnandi Byzantii cura distracto, Hungari rursum de-

1452 reddendo sibi Rege, cum Caesare agunt; qui tamen abducto secum in Italiam Ladislao, spes legatorum irritas fecit. Errant, qui animos ad dolum intenderant, rati, Imprudente Friderico, principem abduci posse. Cum tandem ne hoc quidem procederet, vniuersi vim adhibendam conclamat. Adiutores se operis praebuerunt Austrii, duce Eyzingero, et ipsi ab Ladislao regnari cupientes; ut pote qui tamdiu Caesarem, Neapoli Austriae, oppugnare perseuerarunt; donec fide data, et seditionis veniam faceret, et iustum sibi redderet dominum Perlata in Hungariam fama, de libertate Regis, principes optimatum, vecti splendidissimo militum commitatu, Vindobonam deferuntur, Ladislaum salutaturi pariter, ac oraturi, ut ad capessendum tandem regimen, ad se venire haud recusaret. Minus aequis auribus hauriebant oratio-

nem

nem Hungarorum Australes, veriti se  
fructu, magni sui periculo, exantlati o-  
peris carituros : maximeque nitebantur,  
vt ne auitam desereret prouinciam. La-  
dislaus, dubius aliquantulum consilii, sub-  
ductis demum momento temporis, ratio-  
nibus, ad nostros conuersus : *Mihi, in-*  
*quit, quia sum Hungarus, apud vos est ma-*  
*nendum.* Incredibile dictu, quanta gau-  
diorum testificatione fermo hic ab nostris  
exceptus, et tota Hungaria celebratus  
fuerit : vnde scilicet vniuersi coniiciebant,  
senatum populumque Hungaricum, in  
primis Regi curae cordique futurum.  
Tum conuentu regni Posonium indicto  
Ladislaus, postquam Hunyiadi, quem in-  
uidi ambitionis, auaritiae, et, quod tur-  
pissimum erat, bis prodiit Turco exer-  
citus insimulabant, prorogauit : et tractu  
Bistriciensi, in Transiluania, donauit :  
Hungariam omnem, in sua verba per  
iusiurandum adegit : atque constitutis,  
quae e commodo reipublicae videban-  
tur, Vindobonam repetit : imperatoque  
ad delendum Axamithum quendam, ter-  
ram Scepisiacam confinesque vexantem,  
milite, Pragam se contulit; et, postquam  
heic fasces imperii suscepisset, Casimiro-  
que, Regi Poloniae, sororem nuptui  
dedisset, Vindobonam reuertit. Nondum  
persundum cura rerum Bohemicarum et

Austriacarum, insultu captae a Turcis  
 Constantinopoleos, tama atrox inuasit;  
 1454 qua haud secus, ac par erat, motus,  
 Budae cum patribus, in commune con-  
 fuluit; fecitque sanctiones, in bello Tur-  
 cico, si quod forte conflaretur, obseruan-  
 das. Hoc adeo periculoſo nostris tempo-  
 re, Vlricum inter Cileianum, et Hu-  
 nyiadem priuatae interceſſere obtrectatio-  
 nes, in publica mala, ni fors obſtitiffet,  
 haud dubie euafuræ. Prior etenim, quem  
 veluti moderatorem iuuentæ Posthumi,  
 Caesar effe voluerat, cum aequo animo  
 Proregis auſtoritatem, qua multum apud  
 omnes valebat, ferre non potuiffet, vi-  
 dens ſe, p̄ae illo, parui futurum, falsis  
 criminacionibus apud Regem ſibi deditum,  
 in absentem vtebatur; nuncque tyranni-  
 dis, vtpote, qui per ſpeciem alienæ  
 fungendæ viciſ, opes suas firmaret, et  
 gradus ad regni honores pararet; nunc  
 parricidii intentati reum agebat, dictans:  
*ad internecionem effe deponendum, ut infide-  
 lem, et veneficum.* Talibus inductus Rex,  
 per educationem ſuſpicax, potestatem  
 fecit Hunyiadis circumueniendi. Hic ta-  
 men de infidiis edoctus, animum ad cauen-  
 dum attenderat, eaque calliditate,  
 omnes aduersarii machinationes ( bis  
 Vindobonam, ſemel Kiczen, Regis  
 nomine, ad infidias, inuitabatur ) elu-  
 fit,

lit; vt parum absuerit, quin Vlricum in dolo deprehensum interimeret. Ladislaus, vt caussam obtrectationis, antiquas offendiones, cum inuidia esse comperit: Ioannem, in antiquum gratiae locum restituit, et Matthaia, filio eius natu minore, vt sibi appareret, inter nobiles pueros relato, summam belli Tureici, ei tradidit. Accepit hic eam prouinciam, nihil de offensa Vlrici sentiens, tanto promptius cupidiusque, quo certioribus nunciis compererat, barbaros, vltimam Hungariae feruitutem machinari; iamque fuso fugatoque Rasciae praefecto, Senderouiam, acri cinxisse obsidione. Quae ad expeditionem necessaria erant, summa celeritate, et sine vlla ostentatione agendi comparatis, prius in conspectum hostis venit; quam is satis sciret Hungaria profectum. Tam inopinata profectione non minus, ac tanti viri fama, quae eum non conspectum solum, sed terribilem etiam efficiebat perculsus Mahomedes, reliqua Senderouia, in Bulgariae ipse recessit: reliquit tamen, cum XXXM. Friczibegum ad arcem Crisoniam defendendam muniendamque: cui vt bellum quam longissime duceret, negata censictus faciendi potestate, seuere paeceperat. Non latuerunt Hungarum hostis confilia, quibus paeuertendis profectionem, noscere silentio, imperat.. Sine militari strepitudo.

piru, mira celeritate confecto itinere, Turcas operi, quam pugnae magis inten-  
tos, nulla interiecta mora adgreditur; ad  
internacionem delet, capto duce: castro-  
rumque et impedimentorum potitur. Sul-  
tanus adeo vltionem non parabat, etsi  
sensit clade ea, et existimationis, et e-  
xercitus sui insignem fecisse iacturam: vt  
contra Adrianopolim vsque retrogressus,  
potestatem nostris fecerit, ditionem suam  
libere perpopulandi. Hunyades rebus  
praeclare gestis, Belgradum regressus, in  
inuidiam incidit Hungarorum. Adeo ni-  
hil est, quod omnium supergrediatur i-  
ras. Potestatem illi, qua solus cuncta  
moderabatur; sustulerunt, additis sex  
collegis, quominus nutu vnius, omnia  
gererentur. Displicuit id Regi, nec sibi  
temperare potuit, quin senatus consul-  
tum rescinderet, Hunyademque vetere  
auctoritate pollere iuberet. Saluti id-

1455 psum erat vniuersae Hungariae. Turca  
enim, nomini Christiano inimicissimus,  
resumis ex priore clade viribus, Seruam  
omnem, illata agris vastitate, in potesta-  
tem redigebat. In ea necessitate passim  
quaerebant praesidia nostri; quae tamen  
quod non veniebant, volones singulari-  
bus promissis vocabantur, ad signa vt con-  
fluerent. \* Etsi inconditum, et belli  
expers

expers agmen erat : tamen vel propterea, quod ex spe delicta piandi, animum vincendi ceperant, ductu proregis et Capistrani, hostem a Belgrado, mira fortitudine repulerunt. Extremum id erat praeclare factorum Hunyiadis: morbo enim paullo post

---

Apostolicae sedis legati, hanc in rem, apud P. Pray Annal. Reg. Hung. Part. 3. l. 3. p. 170. ita habent: *Tenore praesentium intimatur vniuersis Christi fidelibus, quod quicunque personaliter iuerit in bellum contra Turcam, et per sex menses seruietur, absolvitur ab omnibus peccatis, et habebit plenariam indulgentiam, nulla imposta poenitentia, quia sola contritio sufficit.* Similiter absolvitur, et plenariam indulgentiam habet, qui mittit vnum bellatorum expensis suis, qui sex mensibus seruiat. Qualis haec militia fuerit ex epistola IO. DETALIACATIO, apud Cl. WADIN-GVM in Annal. Minor. Tom. XII. citante Prayio, optime cognoscitur, qui ita: *De Nobilibus, inquit, et clientibus, licet multis essent crucis charactere insigniti -- nullus eorum venit, sed vt sanius dicam, per pauci comparuerunt; sed omnes, qui conuenerant, erant populares, rustici, pauperes, sacerdotes, clerici, scholares studentes, monachi, fratres diuersae religionis mendicantes, personae tertii ordinis S. Francisci, eremita, inter quos pauca arma vidisses: non equos, nisi pro deferendis ritualibus -- abundabant gladiis, fulibus, fundis, baculis sicut pastores, etc.*

post obierat, relictis duobus ex se natis, Ladislao et Matthia. Vir erat demerendis hominibus genitus, cui nihil defuit aliud, quam generosa stirps; quam tamen ipse illustrem, filius aeuiternam fecit. Ladislaus audita Belgradi ditione, ex instantibus, de futuris consilia capturus, eo peruenit; et quod Hungaria Rectore, se variis immerso curis, indigeret, Vlricum, qui plurimum apud se gratia valebat, Proregem iussit, infestissimum nominis Hunyadem. Si quis, Michael certe Szilágyus, gener defuncti id sibi odio habuit: praesertim quod non nesciret Ladislaum, paternae gloriae haeredem, et Taurini id temporis praefectum, Regi inuidiose criminari. Quae demum cunque caufa fuerit, Prorex in colloquium ab Hunyiade amice vocatus, post verborum tandem iurgia, quia primus vim adferre tentabat, sica conficitur. Motus caede auunculi Rex: ad praesens tamen tempus dissimulauit offensionem; cum in primis multi cauffam praetexerent, Vlricum iure caesum, velut alienae insidiatorem vitae, et hominem nimium quantum dominationis cupidum. Seu itaque vere, seu vt altum corde premeret dolorem, Ladislao veniam dedit, iusso, vt se honoris cauffa Budam conserueretur. Huc vbi aduenit, non derant, qui aures optimi principis calumnias,

mniis, hi caedis, illi perfidiae, obtundent. Quibus tandem fessus, an vi-  
ctus, adolescentem florida aetate, qui vix  
dum annum quartum, supra vigesimum  
transgressus erat, publice securi percuti  
iussit. Indigna res plerisque visa; certe 1457  
caussa exstigit, domesticarum dissensio-  
num, sub quarum ortu et progreffu,  
Turcae amissas bello vires reparabant.  
Ladislaus interim animum ad vxorem  
ducendam adiecerat. Princeps Gallica  
ante caeteras perplacuerat. Nuptiarum  
sollemnia, rogatu Podiebradii, Pragae  
celebrandae erant, quo magnus ex uni-  
uersa Europa fiebat confluxus; alii, vt  
ex insolita celebritate fructum oculorum  
caperent; alii, vt de rebus Turcicis, in  
medium consulerent. Verum improuisa  
mors Regis, conceptam omnium animis  
laetitiam, acerba mutauit tristitia. Intra  
enim triginta horarum spatium, cum ante  
vegetissimo aspectu erat, vtrumne ve-  
neno, an contagione, aut morbo, in-  
certum, obiit. Hoc defuncto patrum  
animos, certamen regni et cupido versa-  
bat. Bohemia, arbitrio morituri Podie-  
bradio obuenerat: apud Hungaros, in  
variis voluntatibus, plures regnare vole-  
bant. Michael Szilagyi, cum Thoma  
Szekelyio, Auranae Praefecto, in pri-  
mis pro Matthia Hunyiale stabant, sce-  
ptro dignissimum iudicantes, tum ob e-

ximia patris in rem publicam, merita-  
tum ob singularem virtutis, quae in a-  
dolescente elucebat, opinionem. Ad-  
uersarii, quorum princeps Nicolaus Ga-  
ra Palatinus fuit, quod resisti armatae  
multitudini non posse intelligebant, vi-  
tro offerendum existimauerunt, quod im-  
pedituros se diffidebant, \*

1458 MATTHIAS I. CORVINVS itaque,  
in comitiis armatis, apud Pesthum, Rex  
Hungariae iubetur, maxima populi lae-  
titia. Tenebatur is tum in custodia Pra-  
gae, quem nihilosecius Podiebradius  
omni liberali cultu habuit, et ante ge-  
nerum delegit, ac in spem tantarum ve-  
niret rerum. Compertis demum, quae in  
Hungaria agerentur, iussum principe lo-  
co ad mensam accubare; ludo seria ver-  
tens, percontatur. *Ecquam gratiam redde-  
ret, optatissimum allaturo nuncium?* Mat-  
thia, quando libertate maximo bono careret,  
minoris se, quam ut magnis magna repen-  
de-

\* IO. DE ZREDNA Epist. Script. Hung.  
Tom. 2. AENEAS SYLVIVS in reb. Frie-  
der. III. THVROCGZIVS part. 4. c. 43-63.  
RANZANVS Ind. 23-29. BONFINIVS Dec.  
3. l. 7. DVBRAVIVS Hist. Boh. l. 29.  
LVCAE d'ACHERII Spicileg. Tom. III.  
p. 801. edit. nov. Adauerti Voigtii: Beschrei-  
bung der böhmischen Münzen II, Vano pag.  
244. seqq.

dere posset, aestimante: Podiebradius oculis, et toto corporis habitu veneracionem praeferens: Salve, inquit, Matthia, Rex Hungarorum designate! Fortunam, qua dignus es, tibi impense gratulor. Felicem me, qui antequam Rex esses, futurum ominarer, teque mihi affinitate coniungerem. Nunc, quod felix faustumque sit, filiam hancce memam, (Catharinae nomen erat) coniugem habeto. Caeue amicitiae obliuiscaris, quam tecum facio: iura necessitudinis semper inuolata sunt. Somnio similis res adolescenti videbatur: interdum, ne sibi, per locum illudetur, rogabat. Sed vt ambigenti fides, ab oratoribus Hungaris facta, serio iam Rex, comitantibus praeclarissimis quibusque Bohemiae viris, ad fines Morauorum peruenit; vbi mater, cum procerum multitudine occurrit, non sine lacrimarum larga effusione, reminiscens pristini temporis acerbitatem, regnum filio gratulata. Dicitur Budam triumphanti similis: descendit obuiam, vniuersa ciuitas: fit magna exspectatio visendi Regis: populus omnibus incedit laetitiis. Nec tamen haec eadem omnium fuit sententia, cum alii Polonum, Caesarem alii Regem deposcerent. Illo honores abnuente, Fridericus Neapoli Austriae, corona redimitus, a Nicolais, Gára, et Vjlkio sociis, Rex Hungariae

renunciatur. Matthias, cuius maxime intererat hostes mature frangi: antequam in Turcas proficeretur, tanto acrius infeliusque bellum in Caesarem parat, quanto maius periculum hinc sibi instare putabat; nec spes vlla affulgebat coronae sine armis recipiendae. Destinatur ei gerundo dux, Simon Nagy animo, quam consilio maior. Hic se paucis legionibus validum satis existimans signa ad Körmöndinum confert. Quis tamen acrius, quam cautius hostes instabat, acie superatur. Vjlakius, et Sigismundus, Comes S. Georgii, duces cum prorege, aduersae partis, quod omnem victoriam ciuilem funestam interpretabantur, a persequendis fugitiis militem tuba reuocarunt: quod factum magna Caesaris indignatio consecuta est. Commodum id sibi accidisse arbitratus Matthias, opera familiarium exsiles ad amplissimas spes honorum apud se induxit, quodsi redire ad obsequium vellent; quod operis ei bene prospereque processit. Animum inde Regi haec non infelix secessio auxit; vt memoriam cladis acceptae deleturus, in Caesarianos ducibus Nagyio, et Sigismundo, Comite S. Georgii, incurreret. Quod hostis ancipiti premebatur periculo, Simone frontem, Sigismundo terga inuadente, non su-

superatus modo, sed castris quoque exutus est, quae res locum inducīs fecit. Pari fortuna, cum Bohemis Giscranis, apud Agriam et Cassouiam pugnatum, eoque demum peruentum; vt ipse dux factionis Ioannes, magnificis excultus munieribus, regiis fese addiceret partibus: et deditis, quae tenebat, oppidis, in his Solio, aduersum Turcam cohortes ducturum sponderet. Fridericus, vt singula Mat-<sup>1462</sup> thiae consilia bene atque feliciter eueni-re intellexit; nec ipse iam ab inimicitiae foedere ineundo alienus, se aequis con-ditionibus, et ab iniuria belli abstinere, et coronam reddere velle ostendit. Rex, ne quid in tanto negotio, inconsultis pa-tribus occiperet, Budam conuentum indi-xit; vnde, postquam consilia omnium coaluerant, legati de controuersia sedan-da, ad Caesarem proficiisci iubebantur. Inter haec Mahomedes, Bladum Vala-chiae principem, a quo sui semel atque iterum profligati erant, opprimit, et va-stata prouincia, ac filio patri suscep-to, in Bulgariam recessit; vt proin, fere si-ne fructu fuerit Matthiae eo locorum profectio. In Hungaria, Rege absente, Pontifex Strigonienfis, cum Palatino, Komorszkium, Barthum, et Korbelium, duces factiosae in citeriore Hungaria mul-titudinis, pollicitus deditis famae, ac re-

rum in columitatem, in gratiam reconciliavit. Eo id salubrius reipublicae erat, quod tranquillatis domi rebus, in Halibegum Turcam, Slauoniam impune populantem, vti absque metu ciuilium turbarum, ita nouis supplementis aucto exercitu, maiori cum spe belli prosper gerendi, iri poterat. Ac respondit omnino ad fiduciam euentus. Barbaro enim non solum clades maxima inficta est, verum praeda quoque omnis (hominum ad XVIIIM. in vinculis habuit) erepta, multis hostium dum ferrum metuerent, vindarum <sup>v</sup>  
 1463 absuntis. Mahomedes non minus hac fortunae aduersitate, ac regis in danda pace duricie offensus, opinione celerius Bosniam, Hungariae stipendiariam, incondita cum multitudine inuadit, captum Regem (Stephano nomen erat) interficit, breuique tempore tota regione potitus, ex XXXM. Christianis phalangem conficit, peditum, apud Turcos, stabile agmen futuram; quos dein lingua sua Ianicarios dixerunt. Matthias postquam in tuto ipse (ab occasu flammarum belli metuebat) Hungaria in periculo esse coepit, cum expeditis legionibus, in Bosniam profectus eadem, qua occupata erat, celeritate recuperavit, deuicto hoste: quo sibi tantam apud omnes gentes gloriam peperit, ut certatim, alii amicitiam eius appeterent, ali

sub-

subsidia in barbaros pollicerentur; in his  
 Pontifex Romanus, Rex Galliae, Vene-  
 tiae, et, quod maxime memorandum est,  
 ipse Caesar. Namque postquam inter cu-  
 ratores pacis componeidae, plurima di-  
 scepcta sunt; postremo eo descensum:  
 quo *Caesar Regem, in loco filii; hic pro pa-*  
*tre illum haberet: Hungaros inter atque Ger-*  
*manos firma constaret amicitia; ut eosdem v-*  
*trinque et hostes, et socios haberent: Regnum*  
*penes Matthiam, eiusque haeredes esset; fin*  
*improlis decederet, Caesar cum natis succedat;*  
*nomen interim Regis Hungariae usurpet, et*  
*donec XL. aureorum numum M. exsolueren-*  
*tur, certa oppida in potestate habeat.* Hanc  
 in conuentionem vbi pedibus vtrinque  
 itum est, corona Hungaris, qui XX. an-  
 nios eadem caruerant, tandem redditia,  
 quae velut palladium quoddam, summa  
 cum ciuium laetitia, Budam perlata est. 1464  
 Voti se damnatos arbitrati Hungari, non  
 ante conquieuerunt, quam de se optime  
 meritum Regem (tum plane barbaros se-  
 cundo Seruia omni, Bosniaque eiecerat)  
 singulari pompa Albae in comitio redime-  
 rent. In regni possessione, sollemini hac  
 caeremonia confirmatus Matthias, Tur-  
 ca ab oppugnatione Iaiczae fama aduen-  
 tus sui deterrito, (vt ipse postea pari  
 terrore ab Zoinichio castro recefferit)  
 et bohemis, qui duce Komorszkio aliis-

que, ad Vagum praedas agebant, pacatis, rem sicut militarem (addidit ad ceteras legionem, a thoracibus, Nigran adpellatam) ita litterariam suscepit emendandam. Atque ut in ista potissimum quod hoc non initium duntaxat, sed et robur salutis esset rei publicae, multa meliora ficeret: cum academiam Budae condere instituit; tum viros doctrina insignes in Hungariam arcessiuit, suppellectilemque librariam insanis sumtibus comparauit; \* quod nos quidem non minoris existimamus, quam quemlibet amplissimum Seruiensem triumphum. Curastamen, in augmentum rei litterariae susceptas, sicut saepe alias, ita tunc diuerli armorum strepitus interpellarunt.

1465 Hinc Caesar propter imperatam in apparatus belli Turcici pecuniam oppidis Hungariae, quae ob nondum persolutum, pro corona pretium, in aere suo fuerant, periculum armorum eminus ostentabat; et, quod iam velitatione, ac populonibus vtrinque agi coeptum est, facile ad cruentas inimicitias perueniri potuisset, ni pax mature coaluisset: illinc rursus an-

---

\* Vide hoc NALDIVM, Cl. FABRI Comin. de Bibl. Budens. item Anonymum F. X. S. A. et Cl. WALLASZKY Tent. Hist. Liter. sub Matth.

antesignani quidam Bohemicae multitudo-  
nis; praedis affuetae, ad Tyrnauiam  
usque effuse palati, intuta omnia ac infe-  
sta faciebant, et Costolanum, ut habe-  
rent, quo praedas tuto congererent; vel,  
si victi pellerentur, ad salutem confuge-  
rent, multum opere maximo muniebant.  
Rex indignatus ab inficeta plebe, agros  
vicosque impune peruri, et nocuas agi  
praedas, maturato sibi opus esse existi-  
mans; ut fiducia remotae militiae incau-  
tos facilius oppimeret, raptim cum exi-  
gua manu, ad Vagum accidit: castrum,  
quo se magna pars seditionis tenebant,  
expugnat, caesis captisque numero ad  
IIM. ex his C. infelicibus lignis suspensi,  
per ingens castelli spatium pependerunt,  
cum Schwehla duce, in furcam, caete-  
ris altiorem sublato: reliqui apud Budam  
nocte silente, in praeterfluentis Danubii 1466  
aqua demersi sunt. Ut hoc atrociter  
vindicatae perduellionis exemplum, Ioan-  
ni, Comiti S. Georgii, Transiluaniae  
praefecto ignorari non potuerit: tamen  
a Colosienibus, et Valentino Vörösio,  
Coruinum, quasi non e re ciuium, sed  
pro sua tantum libidine imperare fatage-  
ret, obtrectantibus, induci se passus est,  
ut Rex, quam praetor esse mallet. Com-  
perto eo, quo minus rebellio diuturnita-  
tate inualesceret, Matthias cum XLM.

ante alpes transiit, quam montium fauces hostis praesidio sepiret. Tam inopinata celeritas abstulit spem Transiluanorum naturae fidenti, per adeo tenues, ut habebat, copias, vitae dignitatisque retinendae. Pro armis igitur preces, ut sibi saluo esse liceret, irato opposuit Regi; qui haud grauatum supplici ignouit, existimans, alieno magis, quam suo arbitrio purpuram sumfisse: iussit tamen, ne quid turbarum daret, prouincia decedere, Georgio, fratri germano attributa. Oppresso Transiluaniae tumultu, in proximam Valachiam, cum vniuerso exercitu itum est. Caussa expeditionis erat Stephanus praetor, cum seditionis Transiluaniae, tum foederis clam cum Turcis icti, suspectus. Hic, quod acciderat, euenturum ratus, edita montium occupat: viarumque angustias, tractu arborum, quas passim strauerat, intersepit. Rex factum indignatus ignem materiae, quae iam vapore torrida inaruerat, inicii iubet, darique noua alimenta, ut flante fauonio, eo celerius cuncta comprehendere. Tali facinore sicut hostis, cui fumumflammamque in ora ventus ferebat, de iniuis cotibus depulsus est: similiter via aperta, ut Rex, nemine resistente, facile Banyam, praecipuum illis locis oppidum caperet. Regulus videns consilia, quae ceperat

1674  
haud

haud ex voto procedere, ad speciem de induciis agit; re autem vera, quo pacis cogitatione incautum opprimeret, infidias clam parat, detectas nihiloseius a Scythulo quodam Regem obtestante: *saluti suae, suorumque prospiceret: armatos enim haud procul abesse.* Quod obscurus videbatur index, id nostri temere non accrediderunt; sed nec ita contempsere, quin arma expedirent, periculum, si quod forte impenderet, propulsuri. Nec omnino rerum futurarum prouidos fuisse poenituit. Valachi quippe, noctis silentio, ad portam vrbis subiuerunt: et igne tectis subiecto, vallum transgressi, per confertissimam turbam, cruentis mucronibus viam sibi, in vestibulum regiae facere conati sunt. Matthias simul ira incensus, periculoque conterritus, suis de spe victoriae trepidantibus, ut animum adderet, qua ducis, qua militis officio defungitur. Cadunt vtrinque plurimi: Rex ipse miseri vulnatur: ad extreimum tamen Valachi pedem referre coguntur, quorum pars flaminis ferroque perierunt (numero ad VIII.M.) alii fuga metum suppliciorum praeuerterunt. Nec tamen Hungaris pugna haec incruenta fuit: ex quo acciderat, ut Poloni quidam scriptores, clade affectum Regem memoriae prodarent. Valachia, ut non sine discrimi-

ne, pacata, Matthias, Podiebradio sacerdo, quod Rochezanam sectam sequi credebatur, proscripto, hortatu Pontificis Romani, Caesare, ob ditiones suas vexatas, haud abnuente, bellum infert; eiusque caussas, cum Hungariae proceribus, tum peregrinis principibus, qui in hanc contentionem animos intenderant, verbosius depromit, quarum princeps religionis cura ferebatur. Susceptis ita inimiciis, in Moravia, castris castra opponuntur, neutro aduersariorum, summam rerum, in dubiam certaminis aleam, 1468 dare auso. Coruinum tandem diuturnioris pertaesum est morae; cum animaduerteret suis se artibus peti. Conclamatris itaque vasis, quod praeterea secreta spes defectionis Bohemiae suberat, exercitu circumuehi iusso, per Cslauensem agrum, vltra Teutobrodam processit. Fit obuiam in tempore Podiebradii, incautumque insidiis circumuenit. Quum enim Hungari ad Vilemouiam, locum maxime siluestrem, cum vniuerso agmine subiuissent, viarum angustias, deiectu arborum septas animaduerterunt: citati inde retro, qua venerant, pergunt repetere viam; sed hanc quoque clausam obice armisque inueniunt. Rex haud secus, atque par erat, praesenti discrimine perculsus, quod, qua erumperet, non

vidit, bellum, pacis honestae conditio-  
nibus conficiendum putauit. Nihilo secius  
postquam ex obicibus viarum filuisque  
fese emersisset, dum Podiebradius in redi-  
gendo ad obsequium Io. Rosenbergio oc-  
cupatur, Moravia propemodum omni po-  
titur: et Pontificis legato amicitiam, quae  
rursum coaluerat, irritam declarante, Bru-  
nae se Regem Bohemiae salutari patitur;  
quo in loco haud ita multo post corona,  
ex Mariae virginis capite desumpta inaugu-  
ratur, et Marchio Moraviae Lusatiaeque,  
item Dux Silesiae creatur. Podiebradius  
e contrario, inimicorum moliminibus il-  
lusurus Wladislauum, Casimiri Regis Po-  
loniae filium eo audentius regni haere-  
dem scribit; quod cum Bohemiae, tum  
Hungariae imperium huic, vtpote cognatione  
priores Reges contingentи deberi  
existimaretur. Ita exardeſcebat magis,  
quam extinguebatur bellum. Victorinus,  
ad Morauiam recuperandam a patre mit-  
titur, Matthia curis Silesiacis distrito;  
qui tamen quam maximis itineribus, cum  
delecto agmine celerans, imprudum for-  
tunae Iuuenem, defensoribus dissipatis ca-  
pit, Budamque custodiendum mittit. In-  
terim fama percrebuit, Turcas Croatianam,  
Carinthiam, ac Foroiulium foeda popu-  
latione vastare. Rex tam propinquuo  
periculo commotus, se ad redditum in

Hun-

1469

Hungariam comparat; Hradisciam tamen ex itinere occupandam statuit. Praeuerderat id fore Henricus, alter Podiebradii filius. Quare summa celeritate, pernotos calles eluctatus, imprudentes Hungaros adoritur, caeditque. Coruinus<sup>i</sup> iactura suorum irritatus, per noua ex Hungaria supplementa aucto milite, Iuuenem fortuita victoria ferocientem inuadit, et victum in Bohemiam propellit; ac tandem summa belli huius Csuporio, Transiluaniae praetori tradita, Budam reuertitur. Huc procerum conuentu indicto, consentiente patrum voluntate, census viritim imperatur, ne pecunia ad usus belli deesset. Superhaec, loca aduersus barbaros, opere et praesidiis muniuntur, milite pro ripis Saui vigilanter excubare iusso. Ita satis, quae in rem videbantur esse, compositis, in bellum Bohemicum, ad quod maxime se se occupauerat, iterum proficiscitur; quod dum acerrime comparat, Podiebradium, aqua intercute, diem obiisse supremum, cognoscit, et post aliquanto, ob metum libertatis perdendae, Wla-  
 1470 dislaum, plurimorum suffragiis, Regem Bohemiae declaratum, frustra obnitente legato Pontificis. Interea, dum Matthias apud exterios dignitati studet, in Hungariam, a plerisque optimatibus, queis Cor-  
 1471 uina

uina dominatio grauis videbatur, Casimirus, ad cupiditatem regnandi, Polonia excitur. Rex specie ciuilis periculi perfstrictus, quam potest, celerrime redit: et postquam alios leni et apta oratione permulsiisset; alios ostentatione armorum perterruisset: Casimirus, qui tum Nitriae erat, ab omnibus ferme desertus, satis habuit, quod incoluni, vnde venerat, reuerti licuit. Sub idem tempus Acephalos quoque, in Hungaria boreali, praedas agentes deleuit. Perinde amplissima fortuna 1473 usus est aduersum Regem Poloniae, propter acceptum in clientelam Moldauiae regulum, arma obmouentem. Tametsi enim Rex quoque Bohemiae, auxilia Polono tulit: tamen Matthias exigua suorum manu, ingentes aduersariorum copias eo perduxit inopiae; vt pacem, prae bello cuperent. Posthaec, ob diuturniora nuptiarum sollemnia (Beaticem matrimoniis sibi copulabat) in magnam incidit inuidiam. Suspicio namque manebat, nisludis genioque, plus iusto id temporis, in Hungaria indultum fuisset, Carnioliam, Carinthiam, Styriamque a Turcis, nuper in Boschia ad internectionem caesis, cladem accepturam haud fuisse. Saltem Caesar haec, si non approbante, at certe conniuente Matthia fieri existimans, suam iniuriam interpretabatur, dicens: *negligi, si non viola-*

1477 *ri iura amicitiae, vicinitatisque*. Ab verborum controuersia ad arma ventum est, populationesque Austriae maxime perniciabiles factae, donicum Beatricis rogatu, pax confieret. Ere praesertim Hungarorum id euenerat. Nam praeterquam quod occasio Regi data erat leges utilissimas

1479 condendi, et foedera cum vicinis ineundi: Alibegus Turca cum C. M. armatis Transiluaniam vastare instituerat, bellumque Hungaris moliri. Matthias cognito mature hostis consilio, Stephanum Báthorium, praefectum regioni admonet; *rerum pro virili satageret, dum ipse cum copiis superueniret*. Is ad supplementa exercitus, in agris conquitione iuuentutis celeriter habita, et Paullo Kynisio, cum delecto agmine sedibus suis excito, hostes locorum obicibus clausos tantopere adflicxit; ut ex tanta multitudine, vix quinquaginta, calamitatis nuncii futuri, effugerent. Ob eam rem publice in Hungaria Dei numini gratiae actae. Ab hoc adeo prospero armorum euentu, vicinos populos, Germanos praesertim, ad cupidinem nouae fortunae sollicitat, suppetiasque a principibus molitur, docens, *si coniunctim agere vellet, fore, ut breui barbarus ambitionis suae poenas Christianis daret*. At praeter benigniora verba, nihil reliqui tulit. Caesar contra, quasi fortunae Hungari inuidet.

uideret, ob veteres controuerrias, a-  
grum Sopronensem, dum Rex, apud  
Sauum, barbaros obseruat, infestis signis  
percursat. Ea animi inconstantia offensus 1484  
Matthias, postquam Kynisius Turcam  
profligasset, exercitum austriæ finibus in-  
fudit: et Hainburgo, aliisque oppidis in  
potestatem redactis, Vindobonam obsi-  
dione cinxit. Interea Turcae, et si non  
dum tempus induciarum, quas a duabus,  
pro se infelicibus, pugnis fecerant, prae-  
teriit, Achilleam, et Nestem castra,  
quod pacis tabulis inserta non essent,  
occuparunt. Id quod Rex tam indigne-  
tulit, ut Petrum Archiepiscopum Colo-  
censem (erat is tum Regi a Secretis)  
cuius vel incuria, vel perfidia factum 1485  
existimabat, colaphis caesum in custodi-  
am daret. Oppidis, quo minus vires  
spargere cogeretur barbaro permisis,  
ad Ebersdorffium, capitali perfunctus pe-  
riculo, (Hieroslaus quidam, scriba oc-  
casione sicariis fecit, glande plumbea  
Regem impetendi) Vindobonam usque  
eo obsidere perseuerauit; dum oppidani  
ad extremam inopiam rei cibariae addu-  
cti, ditionem facerent. Taliter prin-  
cipe vrbe potitus, Neapoli copias ad-  
mouet. Accessit oppugnationi intentum  
legatus a Byzantio, ac pro gentis fa-  
stu, altiores gerebat spiritus, quam vt  
tan-

tantam insolentiam Rex aequis oculis adspicere posset. Animum itaque barbari infracturus, antequam potestate publice ad se adeundi faceret asty tormenta, omniaque alia operum machinationumque genera admoueri iubet; tum ipse proprius muros accedit, oratorique, inter perpetuos globorum sonitus responsa dedit, quorum ille, p[re]a metu oblitus, dignas arrogantiae tulit poenas. Maximilianus vero, postquam cum Neapoli, quae fame expugnata est, omnem inferiorem Austriam in potestate hostis esse vidit; nec spes suberat armis eiici posse: ad pacis consilia animum flexit, virosque nobiles, summis functos honoribus, Budam mil[iti]t, qui cum Rege de amicitia agerent. Nequicquam tamen, ob aduersam principis valedudinem, effecerunt. Febris vbi decepsit (nam ea vexabatur) Vindobonam Corvinus ascendit; partim quod nondum secundae res ab Maximiliano essent; partim ut inuidiam Hungarorum quodam modo effugeret: siquidem Ioanni filio, ex pellice nato, quem Haeredem regni destinabat, Mancam Mediolanensem collocandam suscep[er]at. Intra haec pacis consilia, ab ineuitabili occupatus fato, apoplexia decepsit; cum quo vires quoque reipublicae ceciderant. Funus apparatu omni honore, Albae celebratum est, Petro Ran-

zano munus publici oratoris perfungente. Magnus is bello, sicut diximus, erat, nec minor in pace. Ut praeteream aedificia ad magnificentiam ab eo, Budae in primis, ac Vissegradi constituta: hic sane liberaliorum studiorum, omnisque doctrinae, in Hungaria auctor fuit, tantusque admirator eruditionis sapientiaeque; ut praecellentes ingenio viros semper domi militiaeque secum haberet. In singulos, maxime pauperes, rara fuit benevolentia. Tristem a conspectu suo dimittebat neminem. Hunc diu in pace belloque Hungari desiderarunt. \*

VLADISLAVS II. mortuo sussecutus 1490 est Matthiae, consilio praesertim Stephani Scepusiaci. Hic etenim, cum tres, praeter hunc, competitores imperii essent, Ioannes scilicet Corvinus, Maximilianus, et Albertus, apud magistratum senatumque Hungaricum, contendebat, Vladislaum caeteris omnibus anteferendum esse, causam interferens: *huius opera et Hungariam*

a

\* IO. THVROCZIVS part. 4. c. 63-67. ANT.  
BONFINIUS Dec. III. l. 9. 10. Dec IV. l. 1-8.  
PETR. RANZANVS Ind. 29-36. GALEO.  
TVS MARTIVS Scr. Hung. Tom. I. CORVI.  
NIR. Epist. GERARDVS DE ROO l. 6-8.  
CROMERVS. Corvino mastix, l. 27. 28. et P.  
STEPH. KAPRINAY Hist. Dipl.

*a barbaris facile defendi posse; et aemulorum  
 alios oratione placari, alios ab gradu conten-  
 tionis deiici.* Gestus est ei mos, vndeци-  
 que legati, qui Regem Albam deduc-  
 erent, in Bohemiam missi. Nondum  
 Vladislaus Hungariam intrauerat, iam  
 competitores, quisque pro se armis ius  
 in regnum vindicare studebant. Verum  
 primus omnium Coruinus a Báthorio Ky-  
 nisioque, claris bello ducibus, proteri-  
 tur: Albertus, Regis minor natu frater,  
 velitationibus fractus (in his Demetrius  
 Iakficz, inusitati roboris Tatarum, sin-  
 gulari certamine deuicit) spe successio-  
 nis in regno Poloniae lucrificit: solus Ma-  
 ximilianus, nisi possessione imperii recon-  
 ciliari, nec facile supprimi posse videbatur.  
 Multa iam in Hungaria partim vi, partim  
 deditione ceperat oppida, in his Albam;  
 iamque Budae copias admouerat, quam  
 in tanta animorum diffensione, sine ma-  
 gno labore sub potestate redigere po-  
 tutisset; ni militum pars, orta inter ipsos,  
 ob diuisionem praedae, et negari visa sti-  
 pendia, seditione, ab eo defecisset: quae  
 res demuli non modo soluendae obli-  
 dioni, sed belli omnino componendi lo-  
 1491 cum fecit. Pacto scilicet conuenit; ut  
*Maximilianus Austriam, Vladislaus Hungariam  
 teneret; fique hic improlis decederet, ius regni  
 apud Germanos effet.* Incredibile dictu-  
 quan-

quanta inuidia et acerbitas promissum isto  
hoc consecuta est; nec multum absuit,  
quin legati foederis, publice violarentur.  
Plurimi namque frendebant, ingratiis pe-  
regrino se subiici imperio, prouinciam-  
que multo sanguine partam, vix tentata  
belli alea, inglorie hostibus dedi. Ea  
fine dubio exacerbatione factum est, vt  
legio Nigra, a Coruino olim conscripta,  
multas in Hungaria turbas cieret; et cum  
praeda ex hostibus deesset, in ciuium  
bona auaras porrigeret manus, iussu Re-  
gis tandem ob enormia facinora, a Ky-  
nicio concisa. Quietis postea domi rebus  
Hungari, Turcorum in Croatiam, Tran- 1493  
siluaniamque excursionibus irritati, ex-  
pugnata Senderouia, in vtraque Moesia  
maximas praedas capiebant. Inter haec  
Tauruni milites, turpissimi facinoris so-  
cietate inita, propugnaculum Turcis, do-  
lo malo tradere decreuerunt. Prona-  
iam cuncta erant ad insidias, quum Ky-  
nicius ab expeditione in hosticum re-  
diens, quasi tantum scelus praesensisset,  
praefidum milite auget, ac detecta mox  
coniuratione, in noxios durissime anim-  
aduertit. Antesignanos namque cogitati  
sceleris diutina iussit macerari fame: tum  
vnum ex pluribus, pecudum more in-  
affari, coeterisque obiici praeconsumen-  
dum, quoad vniuersi hoc modo, vlti-

mus inedia periret. In aliis gloriari licet: hoc supplicium apud Hungaros, exempli parum memoris legum humana- rum fuit. Nec tamen vel tam dira poenarum asperitate, ab clandestina barbarorum societate, singuli abduci poterant.

1494 Huius maleficentiae Laurentius praeceteris Vylakius, Dux Sirmiensis palam arguebatur; praeter id, quod sacro sanctam maiestatem Regis, turpibus conuiciis proscinderet. Vniuersi cum procacitatem, tum perfidiam hominis, ad tyrannidem graffari cupientis abominantur, iudicantes ad internectionem parricidam persequendum. Summa imperii datur Bartholomaeo Drágfio, qui aduersarium exiguo tempore eo angustiarum perpulit; ut supplex vitam veniamque prece-  
retur.

1502 Rex, sedatis ciuilibus turbis, magna parte regni peragrata, primo iuri dicundo, quo latrocinandi praecipue licentiam tolleret; tum rei vxoriae studet, ducta in matrimonium Anna Gandalensi. Turcae, ut sunt ad omnem occasionem nocendi vigiles celeresque, dum Hungari hilarissime viuerent, in Bosniam, simul ac in Slauoniam excurrerant, prae-  
dam abacturi. Utroque grauiter multati, maxime ab Ioanne Coruino, Praefecto Illyrici, qui alienum pati imperium, quam ambitu rempublicam perdere, lau-  
dabi-

dabilius ducebat. Quantum vero ducibus  
abs toties impulso hoste laudis accede-  
bat : tantum inuidiae Regi confabatur,  
ob Morauiam, Lusatiam, Silesiamque ne-  
glectui habitas. Incitabat dolorem Satra-  
pae Valachiae, clientis Hungarici, Re-  
gis indulgentia, ad Polonos transitus.  
Qua rerum acerbitate factum est; vt in  
comitio Pesthano graue senatusconsultum, 1505  
de Regibus peregrinis non adsciscendis,  
vulgaretur. Senserat eo se peti Maxi-  
milianus Caesar. Quare ne sibi, neu po-  
steris decesset, cum delecto agmine Hun-  
gariam introiit, poenas ab iis expeti-  
turus, qui negarent isto se teneri foe-  
dere, fidemque secum mutarent. Ve-  
rum vbi Rex proceresque maiorem in  
modum affirmarent, se pacto omnino  
mansuros, nec vnquam, quod semel at-  
que iterum promissum est, rescissuros,  
placatus, sine maleficentia iter in Au-  
striam relegit. Subinde Anna vxor Re-  
gis, filium praecoci partu enixa, mori-  
tur; cuius ille cum desiderium fortiter  
ferre non posset, tantum indulxit moe-  
rori, vt rempublicam negligeret. Vbi  
tandem tristitia aliquantulum mente de-  
cesserat, rerum satagere visus est. Nam-  
que ne fors infantī otium suum fraudi 1507  
effet, adhuc in cunis vagientem Hunga-  
riae Bohemiaeque Regem iussit, mox  
Albae Pragaeque coronandum. Hoc fa-

&to, quasi officio defunctus videretur  
 ad ingenium rediit, tranquillitati magis,  
 quam famae ciuibusque seruiens. Hac mi-  
 rabili Regis indole in occasionem occu-  
 pandae Hungariae vsuri Turcae, multa  
 animo moliebantur. Non latebant pro-  
 ceres barbarorum consilia; sed mutua  
 aequalitas discordiam augebat: in primis  
 de milite conducendo, diuersis fententiis  
 censemebant; vicit ad ultimum Thomae Car-  
 dinalis auctoritas suadentis, ut cruce signan-  
 di ad arma vocarentur. Exiguo temporis  
 interuallo tanta plebis multitudo, qua  
 laboris taedio, qua venia delictorum, at-  
 que manubiarum spe, sedibus suis exci-  
 ta ad signa confluxerat; ut Hungari sa-  
 tis instructi esse viderentur ad obteren-  
 dum hostem. Huius imperium Georgio  
 Dose traditur, qui sibi Laurentium quen-  
 dam collegam sumferat. Hic indigne fe-  
 rens a Dynastis quibusdam colonos ab  
 militia auocari, auctor Georgio fuit, in-  
 iuriam manibus vindicandi. Ab his ini-  
 tiis natum est triste illud in Hungaria  
 bellum rusticum, quo multi immerentes,  
 pro noxiis saeuissime concisi sunt; pluri-  
 mi vici perusti, et thesauri, quasi iure  
 belli, per ultimum scelus direpti, turba  
 socios simul ad libertatem, simul ad ar-  
 ma vocante. Rex audito Dominos ab  
 seruis indigna supplicia perpeti, ad com-  
 primendum seditiones cum expeditis  
 agmi-

agminibns, duces properare iubet. Hi primum oratione animos mitigare, *quantas discordia ciuilis clades importet*, docere, *arma quod impigre ceperint*, laudare se quidem, magis laudaturos, si non utantur, nisi in hostem: seruos ingenuis parcere aequum esse. At cum plebes, ex successu animo sumto, adhortationes feroci obstinatione compressit, primum Ioannes Bornemisza, in agro Pesthano, deinde Hypolitus propter Agriam, tum Franciscus Perényius apud Varadinum, postremo Ioannes de Zápolya, Praefectus Transiluaniae, ad Temesam, stiuae, quam armis affuetiori multitudini ingentem inferunt cladem. Postrema eis vel maxime exitiabilis fuit; quippe qua auctores defectionis capti sunt. Hi pro infando scelere, immanes persoluerunt poenas. Dosa, quod ad regni cupiditatem ferri visus est, candenti folio impositus, ignita corona redimiebatur; tum omnibus intolerandis patientiae humanae cruciatibus, lacerbatur: vt esset posteris documento vitae, quam gloriosissime degere instituerat, propter scelus, turpi morte finitae; ceteris vero, exemplo tali, metus nouarum rerum imponeretur. Vladislaus autem quamquam bellum ignobile finiri gratulabatur: inuidiam nihilominus, ob ciuiles turbas, metuebat. Nec id qui-

dem abs re. Reperti enim sunt, qui non modo amissum Moraviae, Silesiae, Lusatiaeque, culpae eius tribuerent, verum originem etiam tumultus rustici. Effrenata longius processit audacia. Erant scilicet, qui clam interficiendi Regis crimen non abhorserent, sed velut ab hoc capite, pulcherrimum quoddam facinus, sacrilego ausu inchoaturi, tela in optime de se meritum principem coniicerent. Extremo, quod effugerat periculo excitatus Rex, ut sibi liberisque securitatem adquireret, ad nuptias, Annam inter et Ferdinandum, Ludouicum item ac Mariam conciliandas, intendit, indicto Posonium conuentu; cui praeter Maximilianum, Sigismundus quoque, Rex Poloniae intererat. Et quamquam in Seruia, dolo Balibegi, qui Ioannem de Zápolya, insidiis circumuenerat, clades accepta est: Rex tamen nequicquam impruiso casu territus, ad confirmandam penitus societatem affinitatemque Vindobonam concessit, vbi Ferdinando, si Ludouicus, cui spes imperii inter Germanos facta erat, improlis decederet, ius datum fuit regnandi in Hungaria. Postquam ita Vladislaus arctissimis amicitiae vinculis Habsburgicae se iunxerat genti, quasi extremam manum operibus humanis impositurus, pacis, prae belli studio,

apud

apud posteritatem inclarescere cupidus,  
cum Selimo quoque, Turcarum impera-  
tore, de induciis pacisci instituit. Haec  
tamen agentem maligna febris, morbus- 1516  
que articularius opprimunt. Moriturus  
filium decennem Thomae Cardinalis, Io.  
Bornemiszae, et aliorum curae, omni-  
bus doctrinis, quibus principum aetas  
impertiri debet, erudiendum de meliori  
commendauit. Conditus Albae Regum  
monumento.\*

LVDOVICVS II. vixdum libertatem,  
nendum dominationem modice latus, 1516  
translatum in se' graue discordiis regi-  
men accepit. Publicum aerarium expen-  
sis, priuatorum exhaustum erat: discipli-  
na militaris, desidia exoleuit: procerum  
aemulationes factionum augebant studia.  
Ioannes cum primis de Zápolya, victoria  
rustica elatus, plurima miscere coepit,  
et ad spem regni impelli. Huic tamen,  
vt summa ambitione prorex esse cupe-  
ret, in dignitate antepositus est Stephanus  
Báthorius, cuius ingenium vt ciui-  
libus, non minus bellicis artibus, ab-

X 5

unde 1518

---

\* BONFINIUS dec. v. l. 1-5. LVD. TVBERO  
in Comment. NIC. ISTVANFFIUS l. 1-6.  
IO. CVSPINIANVS in Diar. DVBRAVIVS  
l. 31, 32. Hayecius et Doctiss. AD. FRANC.  
KOLLAR in Auct. Dipl.

unde sufficiebat. Inter has, quae domi fiebant, contentiones, cupidō tamē belli Turcici animum incefferat, tanto magis culpanda, quod et vtroque conuentu, Tolnensi videlicet ac Bächienfi, res desidiose agebatur; et Sigismundus, Rex Poloniae, cuius sententia rogabatur, pacem suadebat; barbarus super haec induciarum prorogationem, legati opera postulabat, quem Hungaria incertum spei, diuitius iusto detinuerunt. Solymannus, filius Selimi, iuuenis immensaे cupiditatis, Ludouico dies nuptiales agente, ( ducebat ipse Mariam, collocabat sororem Ferdinando) retentionem assensionis de induciis, pro denunciatione belli, moramque legati, pro custodia interpretatus, copias Belgrado admouet, quod desidia Hungarorum, Bachiam ad imperium Regis, vt oppido subueniretur, tergiuersanter conuenientium, perniciabili rei publicae malo amissum est. Nihilo diligentius, hac calamitate accepta, armis se nostri instruebant. In summo periculo conuiuiales plerique agebant ludos, et intra chorearum sonos, strepitum armorum, quae partem Hungariae concutiebant, non videbantur exaudire. Ad haec mala exaugenda accesserat aperta domi seditio. Impulsore namque Stephano Werböczio, viro adflectendos animos ciuium acuto, a Petho

isto Hatvanum translata sunt comitia,  
 specie quidem de republica consulendi,  
 re autem vera, ut plerique tradidere, stu-  
 diis Ioannis de Zápolya inferuiendi. At-  
 que exauktoratus omnino fuit Báthorius,  
 Palatinus, Scepisio, ob aemulationem  
 dignitatis aduersus. Sic Hungaria in du-  
 as partes scissa, in sua viscera armabatur.  
 Et si iam in tam ancipiti rerum in Hun-  
 garia statu, Turco non erat difficile ar-  
 morum progressiones facere : ea nihilo-  
 secus felicitate adiutus est Tomorius,  
 dux legionum, vt Ferhatem, praetorem  
 Turcicum, cum exercitu XV propemo-  
 dum M. interficeret. Signa militaria XL.  
 Ludouico transmissa sunt. Pari fortuna 1525  
 vsus est Frangepanus in hostes, dum  
 Iaiczam occupatum iuerant. Irritauit magis  
 quam fregit Solymannum rerum huius-  
 cemodi progressus; quippe qui existima-  
 bat ex ducibus suis, nonnullis curam,  
 aliis fortunam abfuisse. Statuit itaque  
 ipse decernere. Ea mente, cum maxi-  
 mis copiis, Pannoniam petebat. Tomo- 1526  
 rius sibi copiisque, quibus tum praeerat,  
 parum fidens, ad Regem Vislegradi adiit,  
 docens, ultimum p[re]foribus esse excidium,  
 ni quantum satis esset militis, in tempore  
 cogeretur : cuncta esse hostilia : aduersarium  
 acrem ac bellicosum magnos ferre spiritus,  
 rem contra Hungaricam, vix unquam segno-  
 rem fuisse, imbecillioremque. Hoc audito  
 Re-

Regem metus de summa rerum cepit. Patres conscriptos, de ratione belli, in consilium adhibet. Bohemos in fauorem Hungariae sollicitat: auxilia a Germanis flagitat, fidem societatis implorans. Fiebant tamen cuncta iusto et serius, et cunctantius. Ex quo accidit, ut hostes ante Petrouaradino potirentur, et hoc praesidio firmato, Drauum traiicerent, quam nostri copias contraherent. Ludouicus comperto hostis transitu, Hungaros periculi admonet; et cum se Ducem postulari videret, assentit se durum omnino copias, modo sequi perseuerarent. Succlamantibus cunctis, se cupide parituros (tantum animorum Regum conspectus, et praesentia subministrat) Petro Tomoraeo, Archiepiscopo Colocensi, et Georgio de Zápolya, summis copiarum ducibus designatis, antequam peregrina auxilia aduenerant, profectionem indicit. Ventum est a Bächia altero die ad Mohácsium oppidum, ubi, quod effet locus opperiundo hosti opportunus, castra muniuntur. Superuenit barbarus, cuius agmina late patentes campos compleuerant, fremitusque tot millium (CCC. fuisse proditum est memoriae) etiam procul consistentium aures impleuerat. Monebat Ludouicum tanta aduersariorum multitudo, respectu paucitatis gentis suae: namque huius partem

partem non habebat decimam militum. Igitur dubius animi, consilium adhibet, quid optimum factu esset, exquirens. Ioannes de Zápolya potentissimus interduces, et artium belli peritissimus, absens per litteras suadebat; *sua peregrinorumque subsidia exspectanda esse.* Prouidentiores Scepusio adsentiebant: Rex ipse haud dubie in eo consilio positam victoriā declarabat. At reliquorum tantum erat taedium exspectationis proelii; ut vix contineri potuerint, quin iniussu quoque imperatoris, cursu ad hostem contenderent. Ea alacritas nostros ad maximam suam perniciem incesserat. Alieno abreptus malo Rex, vallo exire copias iubet: aciem disponit: signum pugnae tuba dari iussit. Dextrum cornu Battyánius, praetor Croatiae, sinistrum Petrus Perénius tuebatur. Ipsum Regem, quo necessitas ferret dimicatum, praeter turmam assuetam corporis custodiae, promptissimi quique, cum longo praefulum ordine circumstabant. Armatis praesentia Regis maiores solito spiritus largiebatur. Dum spe callerent, vtendum existimans Tomoraeus legiones in medium pugnae discriminem immisit. Primo concursu obtruncatis, qui promptius resistebant, magna pars hostium propulsa est. Quoties enim cohors quaeque procurrebat, magnus aduersariorum numerus

numerus cadebat. Iam vndique coepabant fugere barbari, donec victores, praedae peraeque, ac pugnae ante fuerant, audios ad spoliationem interfectorum deduxere. His dum plurimi inhiant, primo dextrum cornu vi tormentorum, ad quae peruererat, tum impetu facto, vniuersa Hungarorum acies inclinatur, et victoria, iam ouantibus eripitur. Tum vero non fuga, sed strages fit nostrorum. Flos certe gentis Hungariæ, eo proelio, conciderat. Rex, ne viuus in hostis veniret potestatem, rebus desperatis, equum in fugam verterat: sed quum hic longiori cursu graduatus esset, in obiectam paludi ripam eluctaturus, motu corporis supino, cum effore in coenum praeceps recidit. Corpus Regis palude mersum; indicio posita Cetricii repertum est, ac Regum sepulchro illatum. Solymannus inter haec orbam defensoribus Pannoniam impune peruastabat, Buda igni deleta. Numero ad CCM. hominum ea clade vel caesa, vel in captiuitatem abducta memorantur. Adeo perniciabile est, in rebus adiictis, tibi nimium praefidere; nec tempore pacis de bello cogitare! \*

IO-

---

\* LVD. TVBERO I. II. CASP. HELTAI  
Chron. Hung. STEPH. BRODERICVS

IOANNES DE ZÁPOLYA, audito 1526

Ludouicūm ad internacionem caesum, cum XLM. quae secum trahebat, apud Szegedinum constitit; plerique de industria tardasse profectionem tradidere. Dum, ab hac velut specula prospiciens, rempublicam prostratam videt, ( Solymannus ad sedandam Afiaticam seditiōnem redierat ) Reginam, quae aegre Posonium delata, a periculo se eripuerat, de eligendo per comitia Rege, dolore, cura, et humanitate plenissimis admonet litteris. Maria, quam non latet, quanta cupido regni, tam specioso subeffet officio, non renuit quidem penitus postulationem, ne confitudini maiorum contraiuisse videretur: nec tamen Pesthum, sed Comaromium Proregem, qui secum erat, conuentum edicere iubet. Machinationibus suis, e modo anteuersum iri praeuidens Zápolyius, palam comitiis intercedit, declamatans, *morem induci nouum, quando maiores apud Pesthum, velut in campo Martio, Regem electuri conuenire soliti fuerint.* Interim cum minus, quam vellet, Reginam ea contentione moueri animaduerteret, factionibus sibi vtendum ratus, Petrum Peré-

Perényium, penes quem tum summae coronae fuit custodia, Emericum Cibacum, virum non minus in rebus ex cogitandis, quam gerendis promptum, alios, iam veteri consuetudine, iam beneficiis deuincit, adiutore mōliminum suorum usus Stephano Werböczio, homine docto magis, ac diserto, quam prudente, et in conciliandis amicitiarum studiis, quam in pace publica retinenda meliore. Mox Tokaini congressio haberi coepta, in qua per tumultum Rex iubetur. Arripuit cupide, quam praepatabat dignitatem Ioannes, et sine curatione Albam profectus, a Paullo Vardano, Archiepiscopo Strigoniensi, nuper a se creato, sacra redimitur corona. At pars Hungarorum altera, in comitiis Posoniensibus, cum Prorege Stephano Báthorio, Ferdinandum Austriacum, ex pacto, sollempni ritu Regem declarant. Hic de voluntate Hungarorum in se certior factus, vindicem se, libertatis causa calamitate adsectorum professus est; nec passurum, ut quemquam in partes suas transisse poeniteret: bona, societatis suae ergo, amissa, aut restitutum iri, certe copiose repensum. Quae benevolentiae testificatio, multorum voluntatem ab Ioanne alienauit; in his Perényi, qui coronam iusto reddidit principi. Zapolyius his rebus grauiter offensus, donec Ferdinand-

nandus in Bohemis, regni suscipiendi gratia versatur, non Hungariae laboribus, sed assiduis bellorum inter ciues odiis consulturus, in conuentu Dobroensi, decretu de peregrino Rege haud admittendo vulgat: Slauoniorum, Croatarum, Dalmatarumque studia sibi deuincit: et ab remotis Gallis auxilia flagitat. Sigismundus, Rex Polonorum, videns non iam tacitis animis, sed aperte tantam iram inuicem concepisse Hungaros, concordiae admonet, simul ac perniciei, ex iuriis contentionibus oriturae: quippe memores esse deberre, alienam se victoriam, ciuili discordia, non suam instruere: Imperatorem certe Turcarum, dissidentibus Hungaris, arbitrum pacis ac belli fore, et eos non suis, sed ipsorum armis viciturum. Gratum vtrique parti consilium fuit. Absque comprehenditione congressus Olomucium indicitur, quo Regum legati ad componendam litem conuenirent. Verum salubris destinationem ob iuris contentionem (Zápolyianis enim dignitatis Domini sui, quam salutis publicae cura potior esse videbatur) optato caruit euentu. Qua ex re Ferdinandus bellum, iam non per dissimulationem, sed aperta professione parare coepit, et exercitum vndique contrahere. Tum illatus Huugariae, postquam sacramentum Posonii dixit, multis lo-

cis velitationes facit, vbique victor, complures recipit ciuitates, quae defecerant, hostemque in Transiluaniam reiicit. Hoc facto Budae habita sunt comitia, in quibus redintegrata in Ioannem inuidia, patres conscripti diem certum factiosis praeftituerunt, *quam ante in gratiam nisi reddissent, igni et aqua se illos interdicturos* denunciarunt. His ita constitutis, Albam processum est, vbi Ferdinandus corona publice redimitus, Ioannes vero hostis reipublicae iudicatus est. \*

LI.




---

\* IO. ZERMEGH Comment. l. 1. CASP. VR. SIN. VELIVS de bell. Pann. l. 1. IST. VANFFIUS l. 9. et Gregorius Rattkay in Memor. Regum et Bonor. Regn. Dalm. Croat. et Sclauoniae Lib. 3.

## LIBER III.

DE

## REGIBVS AVSTRIACIS.

**F**ERDINANDVS I. dum Albae coro-<sup>1527</sup>  
 nationis gratia sese tenet, nuncium  
 accipit, Ioannis de Zápolya exercitum,  
 duce Francisco Bodo, ad recipiendum  
 Budam praemissum, prope Agriam in-  
 terfectum. Hoc facto spes noua afful-  
 serat, hostem calamitate infractum, spon-  
 te arma positurum; saltem socios aba-  
 lienatum iri, maxime, quod denuo lex  
 Oblivionis, ne quis antea factarum rerum  
 postularetur, perlata est. At Ioannes <sup>1528</sup>  
 quidem adeo tenax erat dignitatis re-  
 gliae, vt nisi perpetuo imperio, con-  
 quiescere non posse videretur: sicut re-  
 apse, quum Turcas Boſniae, Dalmatiae-  
 que agros vexare, oppida passim expu-  
 gnare, et eo modo vires Ferdinandi  
 spargi intellexit, nouis supplementis au-  
 cto milite, superiorem incursat Hunga-  
 riā, ante caeteras vrbes, Caffouiam  
 inhians, praesidium et officinam armo-  
 rum futuram. Verum hic quoque impe-  
 tus refrenatus, postquam acie ita victus  
 est; vt in Poloniam, infesta omnia sibi  
 cernens, ad salutem confugeret. Eo de-  
 latus, cum animaduerteret se domesticis

rebus sic robustum non esse; quo imperii maiestatem, quam sibi deberi existimabat, tueri posset, cum Germaniae  
 1529 Principes, tum Solymannum conciliare, adiungereque fatagebat. Atque ad hunc quidem missus est Hieronymus Lascius, vir acer, nec infacundus, qui immodi-  
 cam linguam agitando irritandoque, Ibrahimum purpuratum in eam impulerat  
 sententiam, qua Ioanni Turcica pro-  
 missa sunt sublidia. Hic spe rerum ma-  
 ximarum ab consternatione erectus, ci-  
 uilem transitionem futuram existimans,  
 ex Polonia erumpit, apud Caffouiam re-  
 sistentes in fugam agit, ac multis, ea  
 felicitate, in societatem pelleatis, So-  
 lymanno, haud procul Mohácsio, fit  
 obuiam, a quo humaniter acceptus, Bu-  
 dam eius ope recipit, arcem proditio-  
 ne; Visegradum dein, Strigonium, Iau-  
 rinum, Ouarinumque per ditionem. Ut  
 haec praeter omniem euenerint exspectatio-  
 nem: nihil tamen inopinatum nec inspera-  
 tum ita accedit, quam ubi Vindobo-  
 nam arcta cingeret obsidione, et omni  
 genere tormentorum adfligeret. \* Nec  
 tamen astu vel tanta vi poterat capi,  
 hoste rebus infectis Budam reuerso.  
 Quam noxam quoquo modo vlturus,  
 Ioannem de nouo Regem publicae iu-  
 bet,

---

\* Vid. Paul. Pezelii oppugn. Vindob.

bet, ac praefidio ad custodiam eius  
relicto, cum praeda LXM. hominum  
Constantinopolim remeat. Non vlli,  
quam Ferdinando gratior, vel commo-  
dior haec fuit redditio. Vix enim pedem  
Hungaria extulerat: iam Quaratum, Tyr-  
nauiam, Trentinium, aliaque oppida,  
duce Hardeccio recuperabat. Ioannes ni-  
hilo minus pro Rege se gerens Grittum, 1530  
hominem peregrinum, eumque humili lo-  
co natum, freudentibus ad rei indigni-  
tatem multis, Gubernatorem, et Io. Bán-  
fium Palatinum regni dicit; et, quod iu-  
re non posset, manu imperium sibi ad-  
serere molitur. Deuocat rursum, Au-  
striaca veritus arma, barbaros ad auxi-  
lium. Solymannus alieno periculo suas  
aucturus opes, cum legionibus, quarum  
ingentem numerum ductabat, in tempo-  
re adfuit. Iter via Australis Pannoniae,  
quod rerum abundantior, quam Danu-  
bialis erat, faciens, cohortes cum pae-  
fecto, ad Ginzinum oppidum praemittit,  
ac primo verbis blandioribus ad portas  
appariendas ciues pellicere iubet; sin  
in pertinacia persistent, rem gerere, seras  
claustraque effringere. Horum dum nec  
oratio, nec arma quicquam proficerent,  
Solymannus castris ante ipsa moenia po-  
sitis, paruam urbem, paruumque pae-  
fidium, maximis copiis oppugnat. Nec  
tamen ad varios conatus hostium aut vis

vlla, aut ars deerat. Virtus, et artis  
militaris scientia Nicolai imprimis Iurisi-  
tii, praefecti, excelluit. Nam dum hic,  
et palam, et clam coeptis obuiam ibat,  
barbarum pudor ab incepto auertit, vt  
relicta obfidence, Graecio copias admo-  
ueret. Hinc vis Tartarorum ingens Au-  
striam, infesta populatione percursat, qui  
tamen in angustiis montium, graues  
praeda, fere ad internacionem delentur.  
Ea clade, et Caroli Augusti ad Vin-  
dobonam castra metantis timore percul-  
sus Turca, vasis conclavatis, qua ve-  
nerat, Byzantium rediit, populator ma-  
gis imbellis turbae (ad XXXM. in ca-  
ptiuitatem abduxisse prohibuerunt) quam  
victor armatae paucitatis.

**1534** Haec sequun-  
ta hiems quietior, bello pacem ingessit,  
qua deutens Grittus, homo prauae men-  
tis, turbas in Transiluania ciebat, di-  
gnus, qui, vt accidit, capitis lueret poe-  
nam, thesauris, quos habebat maximos, di-  
reptis. Seu iam ob hoc, seu quod Ioannes,

**1535** nisi spe rerum maximarum, placari non  
potuit, diurna quiete Hungaris vti non  
permittebatur. Hic enim rupto, quod  
initum erat, foedere, opera ducum,  
per insidias Caffouiam intercepit. Inter-  
tam mobilia ingenia haud securior, quam  
debebat Veltius, legatus Ferdinandi,  
fusis tumultuario proelio hostibus, a-  
missum Caffouiae, Tokaini occupatione  
far sit,

sarfit, plura additurus, ni induiae redintegratae fuissent, comitio Posoniensi firmatae. Intercesserant quidem post id temporis, Regem inter et Turcas non nullae in Slauonia simultates; quae tamen haud impediuerent, quin aegris rebus discordia intestina remedium adferretur, paxque ea lege confieret: *ut Turcus inimiciis abstineret; Ioannes, bona Ferdinandi venia, dum superaret; Transiluaniam, partemque Hungariae; cum nomine Regis teneret: eo fatis functo, cuncta, praeter haeredia, in Ferdinandi venirent potestatem.* Videbantur hoc modo finita belli ciuilis mala, cum Transiluaní nuptiis (Isabellam, Regis Poloniae filiam ducebatur) et animo per diuersa inquiete aucta fuissent. Certe tum illis temporibus in Hungaria, aut belli præparatio, aut infida pax erat. Id saluti fuisse videbatur vniuersis, quod Ioannes, dum Stephanum Mailathum, rerum Ferdinandi in Transiluania satagentem opprimere studet, paullo post, ac nuncium de filio sibi nato, qui Ioannes Sigismundus compellatus est, accepit, e viuis excefferat. At enim uero tunc Pannonia maximis concussa est motibus, cum proximam se ad quietem arbitrabatur. Tutores namque infantí a patre moriente constituti, quorum principes Georgius Mar-

tinusius, Episcopus Varadiensis, Petrus  
 Petrouichius, et Valentinus Törökius  
 erant, suamne magis, an pupilli rem  
 promoturi, Turcum missa legatione o-  
 rant atque obsecrant, viduam defende-  
 ret, ac puero paternum seruaret impe-  
 rium, stabiliretque. Subsidio freti, post-  
 quam patri Albae parentatum est, filium,  
 in Transiluania, Regem decernunt. Sa-  
 ne pestifero Hungariae id factum est e-  
 uentu. Vnde erant tum statim, qui et  
 temerarium incepturn indignarentur, et  
 sorti ciuium illacrymarent. Iuste profe-  
 ctio. Namque id erat initium non cala-  
 mitatis solum, sed et diutinae Hunga-  
 rorum seruitutis. Solymannus enim,  
1541 postquam Rogendorffium, regii exercitus  
 ducem, ab oppugnatione Budae, non  
 sine clade reieciit, prope ad moenia  
 cum exercitu confedit. Legatos ex ca-  
 stris ad Isabellam Reginam, officium te-  
 staturos mittit, eamque blando sermo-  
 ne appellat, quo infantem, cuius mira-  
 teneretur cupiditate, sibi tantisper vi-  
 sendum permitteret. Eo minus preces  
 eius aliqua vel excusatione, vel ob-  
 stinatione deprimi poterant: quod et  
 benignum se cunctis praebebat, et peri-  
 culum erat; ne, si petenti repulsa dare-  
 tur, humanitatem ferocia mutaret. In  
 tabernaculum itaque perfertur, longo  
 proce-

procerum ordine comitante; qui in castris abundantissimo epulo, sermone in longum ducto, iusto diutius detinentur. Inter haec, quibus negotium datum erat simulatione visendae vrbis, armati ad portas subeunt, et velut in splendidis aedificiis stupentes, loca munitiora occupant, praeconemque suum palam praedicare iubent: *Ciues arma ponerent, et, si se, fortunasque suas saluas esse vellent, domibus quisque suis, sese tenerent.* Ita Buda inter epulas, blanda colloquia, cundationemque potentium fidem, simulata capta est amicitia, quam Imperator ingressus praesidio firmat, caussam interserens: *se urbem, partemque inferioris Hungariae, dum infans adolesceret contra hostes tuiturum: de caetero Reginam prudenter facturam, si interim Lip-pam habitatum concederet, effetque Hungaria Tibiscana, Transilvaniaque contenta.* Sic Isabella, dum iusto Regi inuidet, tyranno vel ingratias imperium permittit. Graviter quidem Ferdinandus ex hac acerbitate, et commutatione rerum dolebat: tamen quod accisas bello vires habuit: de foedere barbarum, per legatos conuenerat. Hoc et principatum Hungariae, et tributum ab Austria, vesana temeritate, sibi depositente, Rex sicut ad componenda ciuilia, et belli rationes ineundas, conuentum Nouisolum indicit: 1542

sic a Bohemis Morauisque valida impe-  
trat auxilia. Numero ad LXXXM. con-  
tra communem hostem sub signa conflu-  
xisse ferunt. Nec tamen tantis copiis  
multum effectum est, si Nicolai Zrinyi,  
et Francisci Nyárii, tumultuaria duo  
1543 proelia, demseris. Solymannus quippe  
Hungariae infusus complura oppida ce-  
pit, in his Sziklosium, Quinque Eccle-  
fias, Albam Regiam, Strigonium, Ta-  
tam, Neogradum et Hatvanum. Fessus  
1544 nihilosecius belli calamitatibus adeo, vt  
in concedendis XX. annorum induciis fa-  
cilem se praeberet, munus honorarium  
1546 pactus. In hac tranquillitate rerum id po-  
tissimum, qua partim, qua publice in co-  
mitiis egit Ferdinandus, vt Isabella sibi  
conciliata, superioris Hungariae potiretur,  
1549 pacemque ciuibus redderet. Nec omnino  
euentus salubria destituit consilia. Nam  
postquam Sitna, Leva, Csabragum, et  
Muranum arces, velut asyla impune quo-  
suis populantium opera ducis Salmenis  
expugnata, et partim diruta fuissent;  
in Transiluania Georgius Monachus, et  
1551 Io. Castaldus eo sententiae Reginam ad-  
duxere, vt traditis insignibus, regnum  
a filio ad Ferdinandum transferret. Hoc  
vt cognouit Solymannus, magnopere  
stomachari, et ni, quae se imprudente  
inita sunt, rescinderetur, ignes et en-  
ses

ses minari, coniecto in vincula publica,  
 qui apud se erat, Ferdinandi legato. At  
 initio quidem parum vel minae, vel vi-  
 res barbari, ad mutanda confilia value-  
 rant: contra illae animos exasperauerunt;  
 hae ad Temesiam accisae ( Praefectus  
 Budensis Transiluaniam occupatum ibat )  
 spem rerum secundarum fecerunt. At-  
 que venerat utique prospero euentu,  
 cum parte Hungariae, Transiluania in  
 potestatem Ferdinandi, posteaquam Geor-  
 gius Cardinalis ( haec dignitas ei inter-  
 ea accefferat ) perduellionis suspectus,  
 et medio fuisse sublatu. Praefectus re-  
 gioni Andreas Báthorius, dato collega-  
 lo. Castaldo. Hucdum prospera omnia: 1552  
 postea fortuna in peius vertit. Isabella  
 vultum trahebet: Sigismundus in partes  
 perduci haud poterat: Turca ferociens ca-  
 stra ponebat in campo. Cum hoc ventum  
 est ad manus apud Szegédinum. Si quan-  
 do, tunc certe aduersa fortuna; cum  
 nostrorum plus minus VM. desiderata  
 fuerint. Traxerat infelix pugna in de-  
 ditionem Temesvárum ( nisi proditio-  
 nem Loffonczií, contra fidem datam a  
 Turcis postea occisi, dixeris ) Lippam,  
 Csanadinum, Salmosiam, Salgona, Sze-  
 tsinium, Dregelum, atque Gyarmathum.  
 Agria frustra tentata est, Stephani Do-  
 bo virtute defensa, qui ob eam rem  
 prae-

praefectura Transiluaniae donatus est :  
 1554 ob paria in patriam facinora Thomas  
 quoque Nádasdius, vel contra suam vo-  
 luntatem Prorex declaratus. Vtrumque  
 magno Hungariae acciderat commodo  
 propter ea, quae dein euenerunt. Con-  
 cordia enim eo modo inter ciues sta-  
 bilita est, qua factum, vt etsi ignauia

1556 Francisci Bebecii Fülekia, sub induciis,  
 a Busbequio cum Turca renouatis, amis-  
 sa est : tamen ab Szigetho barbarus,  
 postquam pax bello mutata erat, Hunga-  
 ro cum Germanis, duce Ferdinando,  
 stipendia merente, turpiter repulsus est;

1558 et vis Turcarum alia, versus Cassouiam  
 praedationis ergo effusa; a Telekessio,  
 Simoneque Forgácsio cum vita; tum  
 manubii priuata. Id acerbum erat, Ger-  
 manos in tanto de republica merendi

1559 studio, a plerisque vili pensos, quin  
 odio habitos prope Vatiniano : cui ta-  
 men malo Posonii publicis cautum est  
 comitiis. Insequuta est hanc ciuilem,  
 extera quoque cum Turcis pax, con-

1563 fecta opera Augerii Busbequii, hominis  
 omni doctrina exulti. Triennio inter-  
 icto Ferdinandus, ne quid turbarum se  
 mortuo in Hungaria orioretur, Maximi-  
 lianum filium, Regem dicit, Posoniique,  
 nouo exemplo, corona redimendum cu-  
 rat. Atque hoc erat etiam ultimum hu-  
 mani

mani operis: siquidem paulo post tempore in morbum incidit, atque Vindobonae diem obiit supremum. \*

MAXIMILIANVS, qui in locum patris defuncti successit, longe quam spērauerat, tumultuōfiorem reperit Hungariam. Nicolaus Zrinius, vir belli acer initio statim censere coepit: *ut ne ignominiosam cum Turcis pacem colerent* (tricenna enim aureorum millia quotannis solebantur) *indignum esse hostem precio, non armis submoueri: nondum adeo prostratas vires, quamvis adfictae essent, quin pro perditis amissa aestimentur: Hungaros esse, qui Turcarum, quorum vel nomen caeteri horrent, potestatem semper contempserint: reputarent secum tempora illa, quibus tantis barbarorum opibus, domesticis viribus restiterint.* Erant, apud quos vel sola haec gloria recordatio, desiderium pristinae laudis

\* IO. ZERMEGH in Cominent. CASP. VR-SINVS VELIVS de bell. Pann. ISTVÁNF. FIVS l. 9-21. WOLFG. DE BETHLEN Hist. l. 1. seqq. MELCH. SOITER de bell. Pann. IO. MART. STELLA in Epist. HEROLDVS in Hist. AVGER. BVSBEQVI-VS in Epist. legat. Turc. PAVL. IOVIVS l. 28-40. BELIVS in Appar. Dec. 1. MAT. MILES in Chron. Trans. et ALPH. DE VULLOA in vita Ferdin. I.

dis libertatisque augeret.. Quae tamen conditio Regi tanto amarior , quanto se- rior fuit, reputanti praeteritorum dam- na temporum. Monebat itaque *in bello infelicitate olim auspicato amplius perseverandum non esse*: contenti *sunt fortuna praesenti*, nec prouo- cent *arma*, queis *se prope viatos contemtosque esse* viderent: *esse domi grauiora*, et forsitan *infelicia bella*, *in quae reseruare vires oporteat*. Vera dixisse Imperatorem euentus postea condocuit. Ioannes enim Sigismundus ca- pta per insidias Szakmaria ( promptissimi audacissimique , nube pulueris, ab re- deunte ex Pascuis pecore excitata tecti, portas subiuerant ) tantum animi ad ma- xima quaeque audenda sumfit , et spei suis, praedae multitudine , et militis re- gii paucitate ostensa adiecit, vt ante- quam vicissent , ouarent. Maximilianus cognita Transiluani temeritate, Lazaro Schuendio negotium dat tumultus oppri- mendi. Hic cum Andrea Báthorio, Mel- chiore Balassa, et Gabriele Perényio, acerrima hyeme, Krasznahorkam, To- kaium, Senderouiam, Erdödum, alia- que oppida hosti eripit, et minutiori- bus proeliis, ferocientem audacia iuue- nem ita perfringit, ac labefactat; vt postquam consilia sua sero damnaret, per Steph. Báthorium pacem petierit; quae in eam conditionem data est : si posse-

*possessione oppidorum, quae utrinque occupata erant, cederet, amicitiamque illibatam coleret; quod is, fide data, facturum se recepit. Ut haec ad aures Solymanni 1561 peruenere, ad Melitam re male gesta, bilem eo infortunio motam in Hungariam effusurus, iniurias clienti suo factas acerbe queritur: pactioni se inscio factae reclamat: et postquam de muneris biennium intermisso exprobraffet, totius ferme orientis viribus succinctus, bellum Hungariae infert. Belgradum, quo Transiluanus honoris causa venerat, appulsus, partito exercitu, colonis potissimum nocere pergit. Ad Agriam proficiscenti litterae perferuntur, queis significabatur: Mehemetem, Bosniae Satrapam, apud Sziklosum, ab Caspare Alapio, quem Nic. Zrinyius praefectus Szigethi, ad nocendum palatis per agros emiserat, occidione occisum. Excanduit ad famam easus sibi amicissimi, copiisque omnibus, ad vindicandam iniuriam properabat. Extemplo apparuit Szigethi excidio, et Zriniano sanguine barbarum necessario parentare decrese: corona quippe praefidum cinxerat. Celerrime tormenta in suggestibus disponuntur: moenia actutum quatiuntur sine cessatione: cuniculis propriis ad muros acceditur: impressio in oppidum comparatur. Circumcessi, quae inge-*

ingenium, arsque bellica sufficere poterat, circumspiebant. Socordiae litatum nusquam. Crebris, tam nocturnis, quam diurnis eruptionibus, aut aggeri ignem inferebant, aut milites occupatos in opere adoriebantur; et cuniculos morati, moenibus appropinquare prohibebant: inter ualla grandibus in fronte lignis effarciebant, quae paribus intermissa spatiis erant. Nihilo secius hostis pluribus simul locis, moenia est adgressus, visa, vt putabat, capiendae arcis opportunitate. Certe vt tum, sic saepe alias, irrito conatu. Credidisse ferociam aduersariorum infractam. Secus acciderat. Barbarus enim igne tectis injecto, legiones intra munimenta sua expeditas cohortatus, vt aliquando pro tantis laboribus, fructum victoriae perciperent, extremam irruptionem minabatur. Zrinius, tota iam flammis collucente arce, de summa rerum desperans, comilitones ad honeste obeundam mortem grauibus adhortatus verbis, vt in fortunae prioris, honorum, ac virtutis insignibus occumberet, veste pretiosa, triumphanti similis, induitus, vexillum sinistra, dextra gladium tenens, porta erumpit, et magna strage, inter hostium confertissimos cuneos edita, fatali tandem traicitur plumbo. Gloriosior

fior, haec, p<sup>r</sup>a<sup>e</sup> Solymanni, mors erat. Hic enim p<sup>r</sup>a<sup>e</sup> indignatione, quod tot maximarum rerum opportunitate dimissa, tam discedere ab oppugnatione loci irritum, quam morari circa muros exiguae vrbis pudebat, ante morbo periit, quam miles armis arcem euerterat. Fama praeterea est, ea oppugnatione hostium ad XXXM. occubuisse. Mehemes, apud quem tunc summum imperium erat, posteaquam immanem populacionem in diripiendis passim colonorum rebus exercisset, Babocsamque cepisset, quo et exercitum, ex inopia laboreque reficeret; et novum Imperatorem auctoritate stabiliret, in Thraciam excessit.

Nec tamen huius decestu omnis ira finita est. Hassanes namque, Temesiae praefectus, concitatore Ioanne II. quae Regi, propter Tibiscum, parebat, Hungariam dirissime exinaniebat. Cum iam in tanta patriae calamitate, quae auerti non poterat, magis omnes publicam, quam priuatam fortunam lugerent: Rex Antonium Verantium, Agriensem praefulem, et Christophorum Tieffenbachium, ad Selynum, de pace mittit, qui barbaro in bellum Cyprium intento, sine graui impendio inducias, in octenium, ea lege impetrant: *vt, quod pro se quisque occupauit, teneret: Transiluanus*

*pace frueretur. Tali modo reddita tandem Hungariae tranquillitate, Io. Sigismundus, quod infidam barbari videbat societatem, hortatu Regis Poloniae, auunculi, cum Maximiliano paciscitur: vt, dum viueret, praeter Transiluaniam, prouinciam Bihariensem, Szolnokensem, Marmarosiensemque, cum salis fodinis, ex quibus quotannis magna redit pecunia, possideret, seque cum imperatore affinitate coniungeret, duxta in uxorem una ex neptibus: si vero citra opinionem, armis Thraciae, haereditio suo expelleretur, in Silesia, Ducatum Opaviae possideret; quae tamen consilia subinde mors Io. Sigismundi perturbauit. Neque enim ita multo post morbo inopinanter obiit; cui Steph. Bathorius, postea Maximiliano in Polonia antelatus, in prouincia successit iure fiduciario. Amurathes adeo factis pactionibus non intercessit; vt contra inducias, quas pater suus inierat, non tantum ratas haberet, sed Persidis gratia, prorogaret etiam. Maximianus tandem, constitutione metallifodinarum Hungariae edita, et filio Posonii Rege coronato, dum bellum in Polonos apparat, Ratisbonae in comitiis, vita, placidissima morte, excedit. Hoc imperante Georgius Thurius, et Gregorius Karacsondi, cognomento Niger, factis innotuerunt. Ille per*

per medios hostes ferro viam sibi apriens, Mahomedem praefectum Albae, captum ad Regem in castra adduxerat; qua ex re meruit torque donari: hic, quod et incredibili corporis robore polleret; et sanctitatis praetextu, liberationem a Turcica seruitute sponderet multos nouitatis suae affectas nactus est; quem tamen praetor Debrecinensis, quia mortem sibi intentabat, publicae capitae damnauit. \*

RVDOLPHVS vt primum regnum 1578 adiit, ne quid damni, ex per plexa temporum ratione, in rempublicam redundaret, fastis Gregorianis Hungaros vti praecipit. Id dum facilius, quam in Germania fieri potuit, effecisset; pacis prae bello amantior, oratorem Byzantium misit, Henricum Lichtensteinum doctrum: 1584 praefectos suos iniuria a Turcis laceffitos, armata pacis tempore corripuisse. Amurathes tametsi indigne ferebat suos pluribus tumultuariis proeliis, haud exili militum iactura superatos: attamen a fide non recessit; produxit contra inducias in annos

\* ISTVÁNFFIVS lib. 22-25. WOLFG. DE BETHLEN Hist. l. 5. PETR. BIZARVS de bell. Pannon. PETRVS DE REVA Cent. 6. Sam. BVDINA in descrip. Hist. Szigeth. part. 3. Script. Hung. IO. LEVN, CLAVIVS Chron. Turc. part. 2.

nos nouem, de Asiae rebus, quam Europae occupatior. Quominus hae, ut conuenerat, durarent, Sinanis purpurati (Vezirium barbaro vocabulo adpellamus) odium in Christianos, et ditescendi cupidio effecit. Hic enim, qua in rebus agendis calliditate erat, Hassanem, Bosniae Satrapen, inimicitias clam exercere iubet: ut occasio effet belli palam gerendi. Is natura asper, vt sua virtute, sic Imperatoris sui fortuna fidens, nodum in scirpo quaerebat, semel atque iterum Croatiam atque Slauoniam depopulando. In casses tamen, quos aliis parabat, ipse incidit. Thomas enim Erdödius, Illyrici praefectus, cum diuite praeda reuerten tem, in transitu fluuii Colapis, a nouissimo agmine adortus, ita turbauit; ut victum cum Mehemeti, Sultani confobrino, aquis mergeret, militum numero ad XIIII. deleto. Quo dolore incensus Amurathes, iram pellicum impotentia exacuente, Rudolpho, cuius legatum Crecviczium iuris communis gentium oblitus, necuerat, clarigationem denunciarat. Caesare armorum, quod ita fieri oportebat, conditionem acceptante, Sinanes Hungariae illatus, Wesprimium, ac subinde Palotam; opera autem nati sui, Sisciam, exiguo interiecto tempore, in potestatem redigit. Interim Rudolphus

phus apud Comaromium copias contrahebat, quibus Pálffium, Nádasdium, Zrinium, Thurzone inque, viros domi bellicique fortissimos praeficiebat. Ad famam communis periculi ingens vnde conluxerat multitudo; quae tanta flagrabat pugnandi cupiditate, ut, nisi data Albae regalis recuperandae potestate, mitigari haud potuerit. Dum in hac expugnanda cogitationes vniuersorum defixaerent: Hassanes, Budae praefectus, Sina-ne ad comprimentum in Perlide armorum strepitum, Byzantium redeunte, urbi obsessae opem ferendam putauit. Consilium erat nostros, proxima luce improuido adgredi; id quod Dompos quidam, religionis Christianae, quam Mahomedanae, nuper susceptae tenacior, idoneorum ad agendum temporum opportunitate prodidit. Nostri dolos edocti, collem castris aduersariorum obiectum, absque strepitu occupant, felici rerum futurarum commodo. Oritur ante lucem nebula, mox ventus, elementa pro Christianis, contra improbos pugnatura. Qua tempestatis clementia, ac post Dei benignissimi, cuius nutu omnia geruntur, praesidium, militis virtute effectum est; ut cum XM. hostili caede nostri triumpharent. Auxit communem hanc laetitiam Fülekii, quod secundum a Bu-

da praesidium erat, secunda fortuna de-  
ditio; ac non multo post arcium Hai-  
nácskö, Somoskö, Devék, Bujak, Hol-  
lokö, Szétsény, Kékkö, Dregely, et  
Palanká. Annus insequens ob intercep-  
 1594 tum Hardeccii timiditate, et Perlini,  
Vrbinatis, vesania Iaurinum, toti Hun-  
gariae lugubris fuit. Alter ab hoc se-  
 1595 cundior abierat. Eo quippe quemadmo-  
dum bina clade (priore XIVM. hostium  
cecidere) Turcarum exercitus, impera-  
toribus Carolo Mansfeldio, et Francisco  
Nádasdio adfectus est: ita Strigonium  
cum Vissgrado, in regiorum peruenit  
manus. Secuta est Vaciae et Hatuanii  
(vbi ad VIIIM. varii generis hominum  
occidere) occupatio. Nec minus laeta-  
bile perceptu erat, Sigismundum Bátho-  
rium, Transiluaniae Principem, relictis  
Turcis, ad amicitiam Rudolphi accessisse  
dicentem: *Malle se in societate Christiano-*  
*rum cuncta amittere, quam barbaris impe-*  
 1596 *rium salutemque in gratiis referre.* Mirum  
non erat ad tantam Caesaris felicitatem,  
maiores in modum, ira efferbuisse Ma-  
homedem III. Achmetis succefforem.  
Hic enim pro animi sui leuitate, quasi  
fortunae responsans, iactabat: *se non ante*  
*rediturum, quam Vindobonam, Byzantii ae-*  
*mulam deleret.* Addebat spiritus copiae,  
quas trahebat, numero ad CCCM. Pa-  
rum

rum tamen tanta multitudine, tantoque  
hiatu promouit. Agria quidem Valonum  
perfidia amissa est: verum haud procul  
Miskolcio, ad Crestesum, aduersus tantum  
exercitum exiguis copiis (vix XXIXM.  
numerum compleuerant) ita decertatum  
est; vt hostes, initio fugae ab imperato-  
re facto, diuersis agminibus, alii Szol-  
nokum, Agriam alii, caeteri denique Bu-  
dam contenderent. Factum nihilo minus  
est immodestia Christianorum, vt res opti-  
me copta, pessime terminaretur. Nam  
licet Maximilianus, apud quem summa  
imperii erat, moneret, ne sparsi et in-  
conditi hostem instarent, neu, donec pe-  
nitus acie vicissent, ad praedam dilabe-  
rentur: cupido tamen, castra hostium o-  
mni opulentia referta, diripiendi, sustine-  
ri vltra nequivit. Spreto ducum imperio,  
passim ad spolia effundebantur. Tam ef-  
frenis auditas hosti iam fracto audaciam  
faciebat, animumque proelii redintegrandi.  
Incredibile dictu, ex deuicta multi-  
tudine, nonnisi ad D. aduersis equis con-  
currere, implicare, ac viatores perturbare.  
Viso rei felici euentu, seruitia his adgre-  
gata, lixae super haec, et calones, quic-  
quid obuium erat, quo armari possent,  
rapiunt, inuaduntque manubiis occupa-  
tos. Tum vero derepente fiduciae, pa-  
uor, laetitiae succedit moeror trepitatio-

que. Fugam faciunt vniuersi, antequam  
se victos viderent, in tanta consternatio-  
ne id solum metuentes, quod primum for-  
midare cooperunt. Et quamquam impe-  
rator non duces modo, sed milites quo-  
que sibi obuios monebat, atque etiam ob-  
secrabat: *ne timore intempestiuo ignominiam*  
*victori exercitui inurerent; neu hostes iam pro-*  
*stratos ferocire permitterent, lixas, non mili-*  
*tes esse, quos fugerent:* tamen adeo nihil  
profecit; vt parum abfuerit, qui Archi-  
dux ipse, cum praetorianis, a fugienti-  
bus opprimeretur, agmina sua temere sub-  
inde cumulantibus. Maximilianus tandem  
ipse, animo frendens suos inseguutus,  
Cassouiam processit. Id certe admirabile  
visum est omnibus, quod pannicus qui-  
dam terror, hoc loco, primum Turcas,  
mox Christiauos ita occuparit; vt illi aleam  
certaminis, hi, queis auaras iniecerant  
manus, praedas aliis permiserint. Occu-  
buere vniuersim ea pugna, quam Agrien-  
sem Turcae nominant, supra XXXM. XX.  
vtpote hostium, nostrorum ad XII. Etsi  
vero heic disciplinae militaris neglectu non  
nihil contumeliae attractum est: tamen id  
adeo non fregit animos, vt erexerit con-  
tra, incenderitque ad tollendum dedecus  
fugae, ornamento virtutis. Quo factum  
est, vt Maximilianus consilia Iaurini re-  
cuperandi caperet, quae tamen, inopi-  
nato

nato Mehemetis ad Strigonium accessu, commutata sunt. Archidux enim tamen vrbi, propius copiis omnibus accedendum putauit. Ad vicum Neszmély, Alberti Caesaris obitu memorabilem, castra posita sunt, quae hostis irritus spei oppugnabat. Inter hoc tempus, cupido animum Regis incesserat, Iaurino stragemate potiundi. Demandatur re etiam vera Adolpho in primis Schwarzenburgio, et Nicolao Pálffio, clarissimis bello duabus, summa tantae rei perficienda. Hi ut erant ingenio acres, exploratis omnibus, quae mox usui fore ducebant, cum delecta manu, per summum silentium, densiore nebula conatus adiuuante, Comaromio, propius Iaurinum accedunt. Additi sunt currus onerarii, ut sub specie annonae dolus lateret. Nec vtique fefeller insidia, Hungaro Turcici sermonis apprime gnaro, commeatum Buda ferri profitente. Interea, dum de porta aperiunda agitur: ingentis magnitudinis tormentum ligneum (petardam vulgus nominans) quod L. B. Vaubecurtius fabricarat, magno fragore, maiori successu exoneratur; et valuis medium in forum propulsis, occasionem facit militi urbem intrandi. Acre tum illico intra muros incipitur proelium. Barbari etsi repentina metu perculsi, tamen sibi quis-

que pro moribus consulunt: alii moenia defensare; alii obuiam ire, et in media arma ruere. Non aliis in alio magis, quam in se spem habere. Nostri quoque auidius alteri alteros sternere, quam se metipsos tegere. Clamor permistus hortatione, laetitia victorum, gemitu morientium, spesque timore. Diutius tandem Turcae resistere vi Christianorum nequibant: magna pars vulnerati, plurimi, dum fortiter se vrbemque defendebant, occisi. Internecione itaque hostis (plus minus MCCCC. perierte) asty occupatur, *quod tum deditum iri iactabat praefectus, ubi Gallus in porta, vice coronidis positus, cantaret.* Post Iaurinum Palota quoque et Vesprimium in potestatem Regis redacta sunt: Budae occupatio im  
 1599 bribus praepedita. Mahomedes vbi, quid in Hungaria fieret, ex nunciis accepit, desperata pace, Ibrahimum supremum ducem, intento atque infesto exercitu, in Hungariam praecedere iubet. In hu-  
 ius exercitu, quem inconditum habebat, lixae permisti cum militibus, passim va-  
 gari, palantes, agros vastare, villas ex-  
 pugnare, pecoris et hominum praedas certatim, agitare. Atque sola fere hac rapina omnis illa expeditio stetit: nostri interim Turcarum in Danubio classiculam victimam diripiuerent: Solymannum, praefe-  
 ctum

etum Budae, dum animi caussa, extra  
 muros processisset, per infidias cepere:  
 et nonnullis potiti castris, duce Pálffio,  
 Tartaros ad Szecsénium palatos, ex im-  
 prouisō adorti sudere. Impediri tamen  
 non potuit; quin Canisa, et si aduersarii 1600  
 ab exercitu regio, cui Mercurianus mo-  
 derabatur, grauia passi sunt, subiugare-  
 tur, truītra postea a nostris tentata.  
 Prospereiore euentu Alba obsidebatur, 1601  
 quippe quae intra dies vndecim, in dedi-  
 tionem accepta est. Superuenit munien-  
 tibus urbem Hassanes, Ibráhimo suffectus,  
 qui iracundia ardens continere se non po-  
 tut; quin derepente nostros in castris  
 oppugnaret. Pars sinistra, pars dextra  
 tentare: cuncti infensi adesse, atque plu-  
 ribus simul locis vallum transfire. Resti-  
 tum est triduo velitationibus magis, quam  
 acie: post concursum copiis omnibus.  
 Victoria Christianis cessit: Alba nihilose-  
 cius non ita multa post; Valonum mali-1602  
 tia desperdita est; et ubi Rosuirmius,  
 apud Pesthum, rem infeliciter gesserat;  
 facultas expugnandi Budam ademta. At  
 Rosuirmius quidem, maculam nupero  
 proelio suscepitam breui, Haffane in tran-1603  
 litu fluminis victo, sanguine VII. M. Tur-  
 carum eluerat; cuius fortunae augurium  
 veluti quoddam fuerat paullo ante, ad  
 Sexardiam, duce Kolloniccio, contra pre-  
 fectum

fectum Budensem, pugna feliciter pugnata; fructus vero non inanis tantum, sed  
 1604  
 damosa quoque Strigonii, a barbaris su-  
 scepta circumfessio. Dum ita longe late-  
 que prosperitas Rudolphi fluere incipit:  
 turbo reipublicae in Transiluania repente  
 cooritur auctore Stephano Bocskai. Hic  
 enim cum virtute sua non posset, Tur-  
 carum ope ad principatum enixus, reli-  
 gionis libertatisque auitae praetextu, Hun-  
 gariam superiorem tumultu miscebat, vul-  
 gum ad arma conciens. Cum res spe-  
 ciem iniuriae magis, quam honoris ambi-  
 tionem pree se ferret: multi ad signa con-  
 ueniebant. Rudem militaris scientiae tur-  
 bam disiecturus Barbianus, pedites (hai-  
 dones consuetudine nostra appellamus)  
 Dampierio, alios Peczio ducibus obuiam  
 mittit. At illi quidem cum imperatori ter-  
 ante separatis temporibus iurassent, se in  
 obsequio mansuros: tamen suspicione re-  
 ligionis abrogandae, et sui interitus abre-  
 pti, maluerunt fidem amittere, quam Ger-  
 manos non perdere. Peczium itaque pri-  
 mum, nihil hostile metuentem, apud Ado-  
 rianum adoriuntur, et licet fortiter im-  
 petus tulerit, ad extremum tamen loco  
 cedere cogunt: quo facto, ne a Barbia-  
 no occuparentur, se cum Bocskai con-  
 iungunt. Hic tali acceßione, nec non  
 Valentini Homonmai, et Blasii Lippai in  
 par-

partes suas transitu, robustior pariter, ac audientior factus, Barbiano ob paucitatem exercitus, copiam sui facere non auso, Caffouiam, multaque alia oppida capit. Haec vbi Rudolphus cognouit, super id, armatam multitudinem reuocari, aut impelli ad abolendam Bocskainam seditionem haud facile posse: Bastam cum delecto agmine ad arcendum progressibus hostem, celerare iubet. Is non ultra, ac opus erat, moratus, in itinere apud vicum Osgyán, cateruam insuetam armorum disiecit, capto duce Blasio Némethio: mox Bocskaium, propter Edelinum acie superat: tum Caffouiam operibus claudit; quam tamen seditione militis, rerum omnium inopia laborantis (prope Fülekinuni XXIX. currus pecuniam et pannum vehentes, ab ipso praesidio direpti sunt) deserere cogebatur. Hoc Morauiam versus Austriamque castra referente, Bocskaiani omnem prope citeriorem Hungariam peruagati sunt. Franciscus Rédeius Civitates Montanas praeoccupauerat; tum opera Somogyiorum, insulam Csallókéziam: Gregorius Némethius vltiorem Hungariam, finesque Austriae atque Styriae, Denghelegius vero, cum Turcis, Morauiam populabat. Dum haec auspiciis Bocskai geruntur: Mehemetes, expugnato Strigonio, Transiluanum ad se Pesthum arcessit. Quo

vbi

vbi magno cum comitatu venisset, corona aurea donatur, iussus confidere: *Achmetem ei suis copiis, suoque exercitu regnum conciliaturum, defensurumque.* At hic quidem, gratiis pro hac in se propitia Turcarum voluntate actis, se coronam in testimonium amicitiae quidem, haud vero in signum regiae dignitatis, Rudolpho viuo, accipere; quam Georgio Szécsio, vni ex ducibus suis, morem patrium afferuandi ab amicis coronae praetexens tradidit. Ac videtur omnino Bocskaius tam effusa liberalitate offensus magis, quam infidae  
 1606 barbarorum societati adstrictus. Exiguo enim interiecto tempore, opera Stephani Illyesházii, facto initio in conuentu Carponano, Vindobonae Rudolpho ita conciliatus est, ut *Transiluaniam, Hungariamque ultratibiscanam, cum Szakmária et Tokaino oppidis teneret: libertas religioque Hungarica sancta atque illibata essent: res anteactae in obliuione iacerent, alia, quae ab Nicolao Istvánffio prolixius exposita legeris.* Non uissima haec erant Bocskai. Eodem enim anno, quo haec, et cum Turcis induciae in XX. annos conuenerant, obiit Caſofuiae aqua intercute; vt non abfuerit suspicio, quin beneficio Michaelis Katai animam efflarit. Post haec Rudolphus ipſe, vt aetate grauius, sic quietis, ac negotii perturbati patientior, voluntate Hun-

Hungarorum, quod esset improlis, in fratrem sibi germanum summam imperii transtulit, Pragae post quinquennium ex hydrope mortuus. \*

MATTHIAS II. corona post annos 1608 octo et quinquaginta; cum laetitia vniuersorum domum reducta, publice inauguratus, vt Stephanum Illyesházium, fide in patriam excellentem, consiliorum omnium consortem haberet, et priscum honoris gradum, Hungaris tandem (XLVI. annorum tempus intercesserat) redderet, Proregem, Palatinum nostri appellant, iubet, et hoc; opinione citius; rebus huma-

\* ISTVÁNFFIVS l. 25-34. WOLF. BE-  
THLEN. l. 6. PETR. DE RÉVA Cent. 6.  
GEORG. ZAVODSZKI in Diar. CASP.  
ENS Rer. Hung. l. 7. seq. PACIFICATIO  
VIENNEN. an. 1606. §. 8. seqq. et IO.  
BOCATIUS Comment. Epist. Atque de  
Bocatio quidem, praeter ea, quae Cel. *Belius*  
Appar. Dec. 1. Monum. 7. hanc in rem com-  
mentatus est, notes, velim, eum Wetschauia  
Lusatiae oriundum suisse, et extra libros V.  
Hungarid. Siracidem quoque, et Cordifidium  
carmine elegiaco scripsisse; obiisse vero Hun-  
nobrodae prid. Kal. Nou. an. MDCXXI. In  
libellum memorialem B. Veinhardi Sculteti,  
se manu sua Regium Historicum, Bibliotheca-  
rium, et Consularem Cassouensem inscrip-  
rat. Haec rei litterariae gratia.

humanis exempto, Georgium Thurzonem, virum, si qua re, pacis certe consilio illustrem. Inter haec pedites Hungari, Haydones vocari praediximus, pacem Vindobonensem violari questi, ut haberent, quo licentiae duce vterentur, Valentimum Homannaium regem deposcunt. At hi quidem, ut primum arma contra se ferri viderant, ad obsequium redie-

1610 re. Tranquillatis eo modo Hungariae rebus, apud Transiluanos, de principa-

1613 tu acris erat contentio. Gabriel tandem Bethlenius per grauia impedimenta, ad summos eluctatus est honores. Matthias pacandae Hungariae, quam serendis discordiis intentior, factum dissimulabat magis, ac probabat. Certe enim omnium maximum huius operum fuit, haud minor tranquillitatis, quam regni tutela. Palam id est, vel ex sanctionibus legum, quae eo imperante latae sunt. Si quando, nae tum valida ac temperata, et belli et pacis artibus, erat Hungaria. Huius saluti in longitudinem prospecturus, quum nulla spes ex se nascendi haeredis supereffet, Ferdinandum Archiducem, filium Caroli, Ferdinandi I. ex Anna Hungarica nepotem, Regem nominauit, et, ut se viuo, solemni caerimonia fieret, efficiendum putauit. Post neque ita mul-

to,

to, quod reliquum rerum humanarum erat, naturae debitum reddidit. \*

FERDINANDVS II. oppido inquietum habuit imperium. Praeter enim quam quod vniuersa propemodum Germania ciuili ardebat bello: Gabriel Bethlen nuper lenitus magis, quam placatus, nouos ciebat tumultus: hominem quippe, vt erat immodicus gloriae: et semper inquietus, libido maxima regni potiundi inuaserat. Atque secutum omnino est, seu hac, seu alia quacunque de caufsa bellum, quod ita varia fortuna gestum est, vt saepius Ferdinandi gereretur aduersa. Superatis Transiluaniae alpibus, Georgium Homonnaium, quem vnum maxime oderat, leui concursu deuictum, in Poloniam profugere compellit: Caffouiam in suam redigit potestatem; atque senatu in ea vrbe coacto; omnes ut communis libertatis caufsa arma capiant: hortatur. Speciosa oratione cum multos ad suam voluntatem per-

\* Vid. CORPVS IVRIS PATRII ad an. 1608. seqq. PETR. RÉVAY Cent. 7. Com. KHEVENHÜLLERI Annal. Ferdinan. Tom. 7. BOHVSL. BALBINI Epit. Rer. Boh. l. 5. c. 16. CASP. BOITHINI res gest. Gab. Bethlen. l. 1. Appar. Belii Dec. 1. Monum. 8. Zauodszky, et GREG. PETHÖ Chron. Hung.

pertraxisset, instituto duplici exercitu, Francisco Rédeo, et Georgio Szétsy ductoribus, ex Superiore, in Hungariam Inferiorem turmas infundebat, dato negotio; *ut in omnes partes equitatus quam latissime peruagaretur: nauarum se operam, ne longius optato a primo agmine, cum legionibus abfit.* Incredibile dictu, quam celeriter praemissi cunctam prope citeriorem Hungariam peruaserint. Milites enim ad regni tutamen excubantes, omnibus rebus subito perterriti, neque arma capiendi, nedum auxilia arcessendi spatio dato perturbabantur, consilii impotes. Bethlenius cognito se suorum fortunae confidere posse, Georgio Rákóczio, quo semper ex voluntate vtebatur, Cassouiae praefecto, leuiter armata secum trahens multitudinem consequitur; et postquam cohortes, quas Buchaimius Lobeliusque ad defendendum ab hoste Posonium ducebant, in fugam egisset, vrbis cum arce, immo, quod admirabile visum omnibus, corona quoque potitur. Tum traiecto flumine, in vteriorem Hungariam signa transducebantur, velite Morauiae, Austriaeque citerioris fines, vagis excursionibus vastante. Consilium erat hosti Vindobonam oppugnare: sed hanc quidem ab hac sollicitudine, duo, qui accidere, casus liberauerunt. Namque vti ad Hain-

burgum Buquoius, Dampieriusque, duces Ferdinandi, magnum Hungarorum agmen profligarunt: ita Homonnaius Polonorum opibus adiutus, cum Rákóczio apud Caffouiam concertans victor suit. Haec vbi litteris nunciisque Bethlenius comperit, conuersis signis, a Sopronio capto, retro Posonium rediit. Atque heic <sup>1620</sup> demum, vt Rédeium laboranti Rákóczio auxilio miserat, de summa rerum consultabat; et in comitiis id omnino agebat, vt reipublicae procuratio, a Ferdinando ad se transferatur. Mirum non est, temeraria molimina in cassum cecidisse. Ne quid tamen incommodi diffensione priuata, in rempublicam transiret, postquam cognitum est, bellum conditionibus componi posse: Nouisolum conuentus procerum indicebatur; in quo tamen adeo de pace, cuius spes erat, nihil conuentum est; vt potius, frustra renitentibus legatis Caesareis, Bethlenius, Bohemico atque Austriaco innexus foederi, ab affeclis Rex proclamaretur. Simul ac eo impudentiae proceffum est, illico fines Austriae, antequam dies induciarum abierant, velitum decurssione adfligebantur. Dampierius quidem hac parte, inimicitiarum quaerebat vltionem. Tamen quantum initio prosperrimus, tantum exitu infelicissimus erat. Namque vt Posonium

vrbem primo impetu ceperit: at dum arci expugnandae instat, in coxendice vulneratus, paruo intericto tempore decepit. Bethlenius, qui interea vltra danubianam Hungariam in potestatem suam cogebat, sed dispulso iam periculo, accurrerat. Verum quantum laetitiae ei res hic fortiter a suis gesta, tantum attulit moeroris, Friderici Palatini infelix ad Pragam pugna. Facile enim opinione praecipiebat, aduersam socrorum fortunam consiliis suis multum offecturam; cum Caesar, hoste in Bohemia profligato, et copiis exuto, castra ab Germanis in Hungaros versus mouere, seque auxiliis destitutum vniuersis viribus ad gredi posset. In huiusmodi difficultatibus, quantum calliditate et diligentia effici poterat, prouidebat. Fiduciam in magna rerum desperatione simulans, turmas ad depopulandam Morauiam, prius quam regius aduentaret exercitus, dimitit: interim barbarorum tacite circumspicit auxilia: coronam in superiorem transportat Hungariam: denique ne quid periculi a tergo oriretur, cum copiis propius ad Transiluaniam accedit. Ferdinandus videns, eo pacto, oblatam sibi potestatem Posonii recuperandi, copias duce Buquoio, vrbi admouet: et ea cum arce, nullo fere negotio capta, Vjuari-

num tentat. At hinc quidem caesariani, Buquoio ab erumpente multitudine interfecto, de aduentu Transiluanii edocti, clandestina fuga sese conantur subtrahere. Non tamen ita recedere potuerunt; quin nouissimi carperentur: et, quod infirma tormentis posuerant praefidia, ex his XV. amitterentur. Circa id tempus Iaegendorfferus, ex Germania in Hungariam appulerat. Huius viribus auctus Bethlen consilium inierat Posonii oppugnandi, quod tum quidem pessime omnium cessit, ciuibus operam suam certatim ad custodiam salutis offerentibus, et Schvendio, urbis praefecto, assiduis eruptionibus, et mira defensionis arte hostium conatus dextre eludente. Inter haec pax Nicolaopoli conciliata est, qua Transiluanus praeter Opauiae et Ratiboriae, in Silesia ducatus, septem Hungariae Tibifanae prouincias, cum Caffouia vrbe, donicum superaret, vtendas accepit; \* quodsi Regis titulo abstineret, coronamque redderet. Non dum sex menses ab confecta pace abierant, cum denuo Bethlenius LXXXM. exercitu ex variis populis collecto, bellum Ferdinando inferret, caussam pra-

A a 3

texens:

\* Erant illi Szatinár. Zabolch. Vgocf. Beregh. Zemplin. Borsod. Abaujvár. Vid. Decr. 1. Ferdinandi art. 29.

texens: *Regem conditionibus non stare, quando Ducatus Silesiae sibi negarentur: PP. Iesuitis plus aequo indulgeretur: et religionis premeretur libertas.* Ita omnibus inopinantibus, neque diurno, neque nocturno itinere intermisso, Tieffenbachiana legione celeritate intercepta, Tyrnauiam peruenit: diuisis demum agminibus, hinc insulam Cituorum, per duces, sub ditio-  
nem subiungebat; illinc Moraiae Styriaeque fines ciuibus, aedificiis, et pe-  
core sic vastabat, vt vel fortibus res ea

1623 difficultatem ad consilium capiendum ad-  
ferret: ipse Schvarzenbergium cum XM.  
veteranis ad Gödingam, vndique exerci-  
tu ac operibus circumplexus, eo angustia-  
rum redegit, vt VIM. qua fame, qua  
aliis belli calamitatibus amissis, victus in  
potestatem venisset; nisi et Nic. Esterhá-  
zius Turcas a signis inuito imperatore di-  
scendentes, multis itineribus dissipatos,  
apud Nitriam semel atque iterum fudisset;  
et nuncii talsis rumoribus attulissent, am-  
plius XLM. ad liberandum circumfessos  
aduentare. Tali fama perculsus Bethlen,  
ex sententia Stanislai Thurzonis Palatini,  
cum obfessis libertatem concedit: tum cum

1625 Ferdinando Rege inducias primum, dein  
pacem facit, quam insecura est Turcica  
in annos XX. Post haec cura rerum do-  
mesticarum animos vtrinque subiuerat.

Rex

Rex filium Ferdinandum III. comitiis Sopronium conuocatis, regno publice initiat, Nic. Esterházio Prorege declarato: Bethlen vero, post deceßum Susannae Karolyiae, cum Catharina Brandenburgica, magna pompa, Cassouiae nuptias celebrat; quo amicitiae caufsa, legatus quoque Ferdinandi aduenerat. Nec tamen diu concordia et pax Bethleniana manfit. Caufsa inimicitiarum fuit Ernestus Mansfeldius, qui a Wallensteinio in Germania vietus in Hungariam ad salutem, cum XV.M. suorum confugerat, quarens, si quam heic nancisci posset, occasionem rebus Caesaris nocendi. Opinione citius Bethlenium negotiis suis impli- cuit, quippe quem fortunae indulgentia ad mutandam voluntatem facile induxerat. Wallensteinius Germanum persequens, in agro Honthensi ad Palankam, se vtri- que obiecerat, itaque multitudine suorum clauferat; vt sine caede erumpere non potuissent. Transiluanus, vt erat ad fraudem acutus, cognito periculo, inducias a Wallensteinio petiuit, simulans *sedare operam*; *vt fibi sociisque cum Rege conueniret*: re autem vera ad copias aerum- nis expediendas; easque impetravit diur- nis, Prorege gnauiter obnitente. Inter haec noctu, quam clerrimo potuit itinere, exercitum in loca deduxit tutiora. Cae-

fariani dolum indignati, castra ad Tyrnauiam referunt, quos Mansfeldius lente insequuntus, Quinto a Posonio lapide, agmen Esterházianum ab omni parte carptum grauiter adfixerat: hi tamen cladis vicem paucum post ad Albos Montes exsoluerant.

1627 Post huius pugnae exitum pax prioribus, vel morte Bethlenii diuturnior, coaliuit, qua Mansfeldius extorris iudicatus est. Induciae adhaec cum Turcis compluribus locis minus bene focillatae, in limitibus prouinciae Comaromensis instauratae, ac vere tandem confirmatae sunt.

1629 Vixdum, haec peragi poterant, Bethlen varius in omni genere vitae, ex hydrope, ob sectas pedum plantas carbunculatus decessit, annos natus nouem et quadraginta. Ab huius morte Transiluanorum pars Stephanum Bethlenium, defuncti fratrem, pars Georgium Rákóczium

1630 Principem dicunt. Sed hunc quidem Nic. Esterházius Prorex, quod nouerat hominis inquietum ingenium, de ambitu grauius admonet. Non tulit id Transiluanus, plurimorum suffragiis electus: sed vti acerbam ad Palatinum exarauit epistolam; sic quasi priuatam iniuriam publico damno farturus, in Hungariam arma intulit. Turcae vel Rákoczio, vel auaritiae suae inferuiti, late Pannonię populabantur, illata vastitate, atrocitati ingen-

ingentis belli comparanda. Cum ita terribilis vnde Hungariae hostis videretur imminere: conuersus Regis animus est ad dandam pacem Transiluano. Tranquillitate eo modo Hungaria conciliata, extremum vitae diem, intra bella Germanica, Ferdinandus morte confecit, Rákóczio variorum insidiis patente. \*

1637

FERDINANDVS III. principem impedit curam conciliandis ciuium animis. Fini eo habita sunt Posonii comitia, in queis controuersia existimatione prolixius disputatae sunt. Sedatis demuin vniuersorum animis, Georgius Rákóczius, Gabriele, qui ante se fuerat, nihilo temperior, dum Rex foris bellum administraret, armorum societate cum Suecis inita, Hungariam inimiciis infestam faciebat, cauflam belli sibi esse dictitans: *ut ciues* 1644

A a s impu-

\* FRANC. CHRISTOPH. KHEVENHILLE-  
RI Annal Ferdinandi Tom. 9. 12. HIE-  
RONYM ORTELII part. 2. p. 56-129.  
ADOLPH BRACHELII Hist. sui temp. I.  
I. 4. COD. IVR. PATRII. CAR. CARA-  
FAE Comment. Germ. Sacr. inst. p. 89.  
325. passim. IO. NADÁNY Flor. Hung.  
I. 4. c. 17. P. FRANC. KAZY Hist. Hung.  
I. 3. 4. MATTH. BELII. Notit. Hung.  
nou. Tom. 1. p. 228-253. et Gregorii Ratt-  
kay Memor. edit. alterae pag. 172. seqq.

*impunitam omnium rerum libertatem tenerent.*  
Cum specie honesta incrédibilis esset ad signa confluxus, multa oppida simul vi, simul deditio[n]e capta sunt; in his Tokainum, Caffouia, Eperiessinum, Leutschouia, Nouosolium, Schemnicium, arx Murány: Szenderouia vero et Fülekinum obseffa. Simul tamen nunciis comp[re]perit, Bucheimium regiarum ducem copiarum, infestis signis contra se tendere, ex inferiore Hungaria, vtraque obsidione soluta, versus Transiluaniam recessit. Ferdinandus quominus Turcam, rerum Rákóczii clam satagentem ad arma proliereret, paci inseruiendum putauit. Conuenerunt missi vtrobidem Patakini ad disfensionem concordia mutandam: vtrique inducias pacis cunctur dierum aliquot. Rákóczius interim, cum legati in colloquio essent, ducibus suis Gabrieli Bakoffio, Io. Keményio, Bornemissa equae, qui tum forte auxiliū caufsa advenerant, negotium dat Bucheimii exercitum ex improuiso aggrediendi. Hoc pacis cogitatione securō, minime mirandum est, si Germanicus miles, postquam octo horas impetum sustinuit, in fugam coniiceretur. Rex ea perfidia, vt necesse erat, accensus, exercitu nouis supplementis aucto, ducem agminis Göczium ad persequendum bello hostem mittit. Transiluanus domesticis viri-

viribus impotens, cum animo volutaret se a Turcis haud aliter opem impetratum, quam si Hungariam suae ditionis, proinde acsi Transiluaniam, faceret tributariam; id vero sine summa omnium offensione effici non posse: nuncios de pace ad Proregem, antequam manu conflictum est, misit. Probata re, colloquendi tempus sumitur, locusque Tyrnauia, quo conueniretur. Bucheimiūs ut vicem superioris facti redderet, Rákóczianos, ob induciarum tempus, nequicquam hostile metuentes, inopinato adoritur; et postquam, caesis IIM. alios fugasset, ingenti boum et equorum praeda potitus est. Ad id tempus Franciscus Wesselinius, opera Mariae Szeciae, amore sui victae, Muraniam arcem, et situ, et opere probe munitam, in Regis perduxit potestatem. Rákóczius hoc dolore incensus, statuit, abiectis pacis consiliis, quae sibi aduersa videbat (pelli regno PP. societatis Iesu cupiebat, et XIV. Hung. Comitatus iure sibi haereditario transcribi) belli fortunam tentare eo magis, quod Göczius milite Hungaro, Croata, et Polono exauditorato, exercitum in Inferiore Hungaria ad paucitatem redigisset. Ac cum XXIIM. omnino Göcziūm pariter ac Bucheimium duces non-nihil exterruit, iam huc, iam illuc ferens arma. Funeslis adeo molitionibus pax 1645  
inter-

intercessit, duratione ignobilis. Vix enim parta est, iam Rákóczius Thorstensohnio, Suecorum duci, qui fuso Haczfeldio, Austriae vastabat agros, orationi, quam fidei suae plus tribuerat. Nam non tantum VIM. suorum, duatore Gabr. Bakoffio, in Morauiam misit; quae Dlugossio iuncta Posoniensem tractum adfligebant, occupata Tyrnauia: sed ipse etiam cum XXXM. ab Caffouia profectus, ad vrbes Montanas peruerterat, vbi aliquamdiu morabatur. Inde cum delecto agmine Georgium filium Thorstensohnio, Brunam oppugnanti, subsidio praemisit, ipse breui, si neceſſe foret, cum vniuersis

1646 copiis consecuturus. Nihilosecius consilia belli componendi agitabat; quae cum Caesari tanto magis probarentur, quanto intentiore cura res Germanicas sibi administrandas existimauit, felici euentu haud caruerunt, postquam Rákóczius, cum Hungariae, tum Silesiae prouincias, Bethlenio olim permittas possidendas accepit.

1648 \* Infecuta est pax Westphalica, qua Germaniae, totos XXX. annos adflictae, quies demum reddit. At Hungari quidem, pacis quoque tempore, belli incommoda ferre cogebantur. Turcae praedam,

\* Vide huc Corpus Iuris Hung. ad ann. 1647. art. 4. 20. 32.

dam, cuius audiissimi erant, facturi, excursionibus tumultuaria faciebant proelia, nostrisque suis certandi artibus praebebant occasionem. Sicut quum pecuniam Onodino Budam transferebant; et nobilis virginem nuptum sponso illustri Strigonium: illi a Leuenſi Szetsiniensique praesidio, hi a Gyarmathensi insidiis excepti sunt. Maximo talis audacia dolori aduersariis erat. Quocirca poenas procuribus capere intendebant. Hac mente, postquam Hatvanenses Turcae, pari dolo Onodinas ademerant manubias, praefectus Agriae, cum IVM. suorum Gyarmathum, leuiter munitum oppugnare instituit. Obstiterunt fortiter cum praesidio oppidanis, vel foeminis pro vallo pugnantibus, quarum telo dux ipse occisus, ansam oppugnatoribus ad redeundum, rebus infectis. Circa eadem tempora Iaurinum quoque mulieris seruatum est virtute, quippe quae prima detexerat munimentum insidiis peti. Ad celebranda haec, pugnae velitares secunda fortuna factae accesserunt: id perceptu acerbum erat, quum barbari hac illac circumcursantes, omnis generis mortales, non secus, ac greges pecudum abegerant; et apud Vezekéniūm, vno conflictu, quatuor Esterházios confecerant. Pax nihilominus in eiusmodi turbis manebat. Inter haec Ferdinandus

1652

dus IV. Rex Hungariae olim designatus, morbo obiit, in cuius locum patris et procerum Leopoldus, natu minor sublegebatur. Dum haec in Hungaria fiunt, Georgius Rákoczius iunior, Suecis velificaturus, infelicem in Polonos expeditiōnem suscepit, vtpote qua et militem, et summum, quem in Transiluania tenebat, dignitatis gradum amisit, exemplo posteris futurus, ne fortis suae, maiora, quam quae consequi possent, concupiscendo, obliuiscerentur. Rebus his haud diu superuixit Ferdinandus, quippe qui anno 1657 eodem extremum obierat diem. \*

LEOPOLDVS haud bene placatam nactus rempublicam, simul imperare coepit, ne, si foris se bella darent, domi 1658 cuncta praecipitia essent, frequentissimum Hungariae aduocavit consilium. Hoc, quae ad communem pertinebant utilitatem, legibus sancta sunt. Duratura haec ad longum tempus videbantur; ni, qua Tran-

---

\* ORTELIVS *continuatus* fol. 129 - 175. FRANC. KAZIVS Hist. l. 5-7. Com. IO. BETHLENIVS Rer. Trans. l. 1. 2. LONDORPVIS Tom. 4-7. PETR. PIASECIVS in Chron. gest. in Europa ling. IO. NADANY. Flor. Hung. l. 4. c. 18. BELIVS Tom. 1. p. 253-260. vt Pujendorffum præteream Tobiumque Pfannerum.

Transiluani, qua Turcae multa simul mœlii fuissent. Illic de Principatu habebatur contentio, primum Rédeium inter, Rákócziumque, tum inter Keményum et Abaffium, quorum vni Leopoldo, alteri Turcae fidem addicebant. Rebus his magis atque magis in altercationes excedentibus, barbari Varadinum subeunt, 1660 frequentibus iam illuc factis decursionibus. Nihil eo minus, quam pacem diutinam apparebat. Leopoldus tamen, vt lenissimi erat animi, de prorogandis induciis, Oratorem suum Constantinopolim ire iusserat; cuius dicta, et si grauissima erant, adeo nihil mouerunt ibidem quemquam, vt ipse propemodum violaretur, bello indicto. Id vbi Vindobo- 1663 nam perlatum est, quanta fieri potuit celeritate, miles ex Germanis Hungarisque ad complendum legiones scribatur. His Nicolaus Zrinus, illis Raymondus Montecucus summo imperio praefuit. Nec tamen vtrorumque conuentu ultra XLM. armatorum completa sunt. Prior ducum Pannoniam Sauiam tutandam susceperebat: alter supra Iaurinum, loco idoneo, castra fecerat. Mahometis interim legatus brevi tempore, longum iter sine impedimento emensus, cum CXLM. apud Strigonium consedit; vbi multa secum voluens, tandem ad Vjuarinum peruer- ten-

tendum tetendit. Huic praefectus Adamus Forgács, quando asty sub iecum dari vidi, quantum in se erat, impeditare, aut certe tardare profectionem barbarorum, dum sibi maioribus copiis auxilio veniretur, percipiens, cum delecta manu obuiam factus est. Turcae, ut sunt ad dolos ingeniosi, nostros eattenuis progredi patiuntur, quod multitudo sua clauderentur. Fit illico caedes maior, quam pugna, ut haud multi cum duce euaderent. In ea paucitate IIM. iactura facta est, capti, in principiis crudeliter enecti sunt; terror ut caeteris iniiceretur, barbaris multo maior in Christianos saeuendi alacritas. Ab hoc initio processerat, infelix fama, Vjuarini obsidium. Quia tamen impletu capi nequuerat; interea donec pars exercitus hoc loco adhaeresceret, alii circumiacentem regionem, affinemque Morauiam effuse populabantur, praeda hominum plus minus XLM. abacta. Inservitutem tandem abiit Vjuarinum, quod secum in eandem traxit calamitatem Nitriam, Lévam, Neogradum, omnemque pone, et ante haec oppida soli tractum: Verebél, Drégel, Palanka, Szétsény, et Gyarmathum magna sui parte diruta: trans Iitrum Nouozrinum, in pref-

sione in moenia facta, ab aduersariis itidem occupatum. Aduersa haec nostorum fortuna, interiectu temporis, secundiore permutata est. Nam praeter quam quod Zrinius pontem Eszekenum 1664 VIIIM. et DLXV. passibus longum; latum XVIII. magno hostium in rebus gerendis impedimento, igni concremarat, et Bersenicam, Babocsamque, cum Segesto expugnarat: Suchesius Nitria et Leua recuperatis, primum ad Sarnouiam in itinere, exigua manu, multos Turcorum in fugam egit: tum acie instructa, apud Leuam. maiori clade adfecit, occisis plus minus VIIIM. ac ponte Strigonensi exusto. Par felicitas consequuta est Montecuculum, quippe qui postquam in Murae transitu iacturam IIIIM. armatorum barbari accepissent, ad S. Gotthardum amplissimam de eis reportauit victoriam, qua cum multis ducibus, virisque nobilibus, amplius XVM. prostrata sunt, vexillis militaribus CXL. captis, et omnibus, quae locupletia admodum erant, impedimentis. Ea fortunae acerbitate perculsus Mahometes, pacem in XX. annos fecit, qua ipse Vjuarinum, Abassius Transiluaniam obtinuit. Interim ne quid vñquam malis Hungariae deesset: Franciscus Wesselinius, Prorex, vir tempora-  
ria fide, cuncta his aduersa moliri ac di-

ctitare : *otio seruitutem conciliari.* Proposito  
 temerario infelix respondit euentus, quo  
 scilicet Leopoldo certa victoria, partibus  
 excidium accidit. Adeo familiare est ho-  
 minibus, dum initia ex sententia fluunt,  
 sibi indulgere, ac de felicitate rei com-  
 1665 munis obliuisci. In thermis Trentinien-  
 fibus, in perniciem Leopoldi improba-  
 cudi copta sunt consilia, conuentu Neo-  
 soliensi demum confirmata, queis irreti-  
 ti sunt Rákóczius, Petr. Zrinius, Fran-  
 geban, Tattenbachius, alii. Wesselinus  
 quidem ante mortem obierat, ac seditio  
 erumperet : caeteri, postquam nefariae  
 1670 machinationes mature detectae, capitis  
 damnati, bonis publicatis : Rákóczius ta-  
 men matris suppicio, veniam delicti im-  
 petrauit. Ea vel indulgentia, vel seue-  
 ritate animaduersonis securitati vitae Cae-  
 faris, et publicae quieti consultum pu-  
 tabatur. Falso. Miseratio contra, quam  
 perfidia augebatur. Multa accusationum  
 capita, infinitae concertationes, impla-  
 cabile quoddam gentis Teutonicae odium,  
 et Proregis sublata potestas, plerorum-  
 que animos ira acuebant, manusque in  
 sua viscera armabant. Nec deerant, qui  
 1674 nouis studerent rebus, in his Szuhay,  
 Petrociusque. Breui tempore armatorum  
 numerus, in agris Tibiscanis, in tantum  
 adoleuerat, vt speciem iusti exercitus  
 prae-

praeberet, iamque grauibus et variis ca-  
 libus superiorem Hungariam afficere occi-  
 peret. Rex, quo mature seditionem, an-  
 tequam latius diffunderetur: conficeret,  
 diuersa agmina, variis ducibus in tumultuantes ire iusserat. Paulus Esterházius,  
 Koppiusque duces primum ad Leutscho-  
 uiam, tum prope Caffouiam, denique  
 pluribus in locis fractos Tibiscum transi- 1675  
 re coegerunt, quos Spankouius apud  
 Szatmáriam consequutus cruento proelio  
 (VIIIM. occidisse perhibentur) fudit, nec  
 minus intericto exiguo tempore, Barkó-  
 czius ad Kisuardam. Pugnatum vtrobi-  
 que infestissimis animis; hinc ira, ob ne-  
 gatum obsequium, stimulante, illinc a pri-  
 ma dimicantibus spe. Stralsondus contra  
 ad Onodinum rem infeliciter gessit. Kop-  
 pius felicior futurus, si labantium animos  
 fauore magis, quam austерitate solicitasset.  
 Hi enim bellum, nisi in aduentum ini-  
 micorum libertatis suaе parare se dicti-  
 tabant. Huic ergo plus odium nimiae se-  
 ueritatis, quam arma hostium nocuisse vi-  
 dentur. Hi saltem aucti Polonorum vi-  
 ribus, Principis Abaffi societate, et Tur-  
 carum manipulis, quominus pugna Szat-  
 mária, cuius dolore vrebantur, sibi inulta  
 abiret, ducem agminis Caesariani  
 Schmidium, Koppii collegam, et au- 1677  
 steritatis aemulum apud eandem adoruntur

tur urbem, et victum fugere cogunt. Quae res tantum animorum factiosis derunt; vt crescente in dies multitudine, nouarum rerum nouum deligerent ducem. Erat is Emericus Tököly, iuuenis impiger, qui iam sub Petrocio stipendia  
 1678 meruerat. Hic vt erat audaciae, quam fortunae maioris, quod et paterna sua bona, ob suspicionem Zrinianae coniurationis, se admodum adolescentulo, publicata sunt, et Casparus Pika, qui sibi apud Aruenses, clientelis refertos, multo plus, ac Regi fauebat, iusu Sporkii, palo transactus interierat, et sibi honorum accessionem ea re sperabat, maximo conatu arma comparabat, ignarus sibi, quam aliis mage nocitura. Spiritus addebat cum opes nuper adquisitae ( Franc. Redeius haeredem ex affe scripserat ) tum Principis Transiluaniae subsidia: auxerunt demum Rákócziae, quam vxorem duxerat, facultates multo amplissimae. Quando super haec ingens turbatae iuuentutis multitudo in verba sua iurasset, multa animo complexus, copiis ex Superiori, in Hungariam inferiorem promotis, auxilia ciuitatibus vicisque imperabat, ausuros obsistere hostiliter se directum minatus. Cum plerique libertati publicae staturum arbitrio huius modum adfirmabant, tristem molitionem fauora-

uorabilem opinio fecerat. At omen euentus, initium conflictuum erat. Prima 1680 enim belli congressione Tökölius ab Wurmio apud S. Crucem vincitur: insigniore tamen regiarum partium gloria, quam suo incommodo. Namque ut opera Iosae cuiusdam Schemnicum diripuit: ita decursione leuis armaturae, Morauiam Silesiamque populauit. Rex quid tam audaci conatu sit futurum praeuidens, So- 1681 pronium comitia indicenda curat, in quibus de concordia publica, dissidiisque tandem penitus tollendis, agebatur. Tökölius offensum se interim existimans, nouum rursus bellum enixe instruebat. Vedit nihilosecius se multo inferiorem viribus esse, quam ut per se aduersariis obfistere posset. Qua de re praefidium Turcarum sibi comparabat, ingentibus promissis animos auri dominationisque cupidos implens. Hi tanto alacrius patrocinium caussae eius arripuerunt: quanto maiori cupiditate ardebant, sub amicitiae obtenu, Leopoldo nocendi. Tökölius vbi 1682 hinc sibi propugnationem haud defuturam vidit (princeps Hungariae a barbaris creatus, et parum aberat, quin Rex etiam) arma audentius, ac olim, circumfert: multa oppida partim vi, alia ditione capit; Fülekinum, quod Steph. Kohárius fortiter defenderat, secessione militum.

Exarsit eo modo bellum Turcum, et si  
nondum exierant induciae. Cuius flamma,  
ne Hungariam omnem, neu vicinas cor-  
riperet prouincias, Caesar sicuti Hunga-  
ros fidei admonet; ita ab Germanis Po-  
lonisque suppetias aduersus communem  
hostem depositit. Vniuersi certatim ope-  
ram suam ad custodiam salutis publicae  
offerunt: Interea dum locis diueris Chri-  
stianorum cogitur exercitus, Kara Musta-  
pha, summus barbarorum dux, cum CCM.  
aduersam licet nactus tempestatem, in  
tempore ad Belgradum peruenit; inde,  
postquam Tökolio ad se venienti maxi-  
mos habuisset honores, eumque de sum-  
ma belli, in consilium adhibuisset, ad op-  
pugnandum Vindobonam recto itinere  
tetendit. Carolus, Dux Lotharingiae, qui  
tum imperator exercitum Caesaris duce-  
bat, Comaromio, Iaurino, et Leopoldi-  
poli praefidio firmatis, omissa Vjuarini  
oppugnatione, tanta multitudini impar,  
in Austria castra retulit. Quem equi-  
tatus Tartarorum tanta celeritate infec-  
tus est; vt carpto nouissimo agmine, parte  
impedimentorum exueret. Postquam Stah-  
renbergio praefecto Vindobonae quantum  
satis videbatur, praefidii datum erat, exer-  
citus reliquiae Danubium traiecerunt, et  
haud procul Moraua amne, loco oppor-  
tuno, confederunt, auxilia propediem af-  
fatu-

futura opporturae. Compluribus diebus iisdem in castris consumtis, vbi Tökölium, qui citeriorem vexabat Hungariam, proprius accessisse Lotharingus cognouit, et si difficultas transeundi colles, qui a castris castra diuidebant, consilia adgredendi hostis tardare potuisset: adiuuit tamen conatus magis, quam impedisset. Emericus enim multitudine fidens, nec angustias viarum obsidere laborabat, nec acie instructa, in magna ad Posonium planicie concurrere dubitabat. Dux animaduersa hostis securitate, instructis cohortibus, postquam in loca planiora elutatus est, signum dat proelii, quo perterriti non solum ii, qui aut minus opprimebantur, aut minus vulnerabantur; sed etiam, qui longius subsidiari consueuerant; ut turpi fuga ad Vagum euaderent. Quae aduersitas barbaris suspicionem praebuit, Hungaros mala fide bellum administrare; eo magis; quod ad Stokerauiam denuo, adiuti licet ope Tartarorum, funderentur fugarenturque. Kara nihiloscius Mustapha, vt auxilia sua videret deuicta, et Vindobonam grauiter affligere pergebat, vt iam fere ad desperationem oppidanos adduceret: et Caesarium exercitum, multis cum Polonorum, tum Germanorum millibus auctum adeo despiciebat; ut per Cetium

montem cum tormentis viam sibi aperientem, victoriae securus, alliceret potius, quam descentu prohiberet: nactus scilicet sibi videbatur occasionem uno proelio vniuersas Christianorum vires succidendi. Ita placebat Turcis numerus suus, ita fiducia virium! At Caesariani superatis locorum difficultatibus, acie sub oculis hostium instructa ( dextrum cornu Ioannes III. Rex Poloniae tenebat, sinistrum Carolus, mediam aciem duo Electores, Saxoniae et Bauariae ) tanto animo immanes barbarorum copias inuadunt: ut omnibus signis exploratissimam partium suarum victoriam ostenderent. Fit interim proelium acri certamine. Diu summa contentione dubio dimicatur eventu. Perculsa tandem sunt virtute Christiana barbarorum turmae, ac perterritae acies, magno clamore discursuque passim fugae se mandarunt. Victores cedentibus circumfusi, quantum equorum vires ad persequendum, dextraeque virum ad caedendum valebant, tantum eo proelio interfecerunt. Itaque amplius millibus LXX. aut in acie pugnantium, aut eorum, qui urbem oppugnabant, perire: omnis super haec multitudo impedimentorum capta. Mustapha, contra opinionem suam acie pulsus, Strigonium, quod ante praefidiis firmauerat, se exercitus-

citusque reliquias contulit; qui insidiis Regem Poloniae incautius consequentem paene interfecit, caefis plus minus III. ex comitatu eius. Vindicauit, quae heic contracta erat, noxam, communis exercitus, illustrissima ad Parkanum pugna, qua ad XXM. hostium partim ferro, alii vligine, vel aquis Danubii periuerunt, et Strigonium recuperatum. Factum quoque ea re est, vt Poloni ex itinere Hatuanum, Szetsiniumque subigerent; Carolus vero Tökölium ab inferiore reiiceret Hungaria. Anno insequenti barbaris apud 1684 Strigonium leui proelio, ad Vácziam grauiore (vbi facile III. hostium cecidere) Tökolianis item plus simplici vice fusis fugatisque, et Vissegrado atque Pesthino captis, Buda caput regni oppugnari coepita est. At tum quidem in irritum cecidit labor. Nam tametsi et pro moenibus strenuissime res gesta, et exercitus vrbi subficio veniens deuictus erat; tamen omnibos sum frigidumque autumni tempus, quod varias importabat aegritudines, re infecta recedi oportebat. Feliciori suc- 1685 cessu, vere ineunte Vjuarinum operibus claudebatur. Barbarus quidem, quo nostros ab oppugnatione auerteret, Strigonium omni genere tormentorum quassare occipit. Carolus verens, ne vrbs dederetur; cum iam in eo esset, vt Vjuari-

no potiretur, Caprara ad obsidionem reli-  
cto, ipse cum maxima copiarum parte ad  
inimicum contendit. Hunc tamen, quod  
natura et arte munitissimo loco castra fe-  
cisse vidit, quasi conspectu tautae multi-  
tudinis territus, ut eliceret, fugam simu-  
lat: milites interim in collibus nemorofis  
ad infidias, casusque omnes comparat; vt,  
si vsus veniret, siuum quisque sciret ne-  
gotium. Turcae, qui hucdum munitioni-  
bus continebantur, rati se nostros haud  
audere in acie aspicere, ingenti sublato  
clamore, fugientes persequuntur, quoad  
Carolus frontem obuertit, et confertis le-  
gionibus in hostes impetum facit: qui  
postquam sero se falsos atque circumuen-  
tos senserunt, aliquatenus quidem, quod  
se iam victores gesserant, fortiter resistere,  
sed mox etiam animis concidere, et  
salutem in fuga quaerere, victoria despe-  
rata. Nostri omnibus ex partibus ceden-  
tes usque ad castra insecuri, sui colligen-  
di facultatem ademerunt, atque sic uno  
impetu, et castrorum, et impedimentorum  
potiti sunt, interfectis millibus amplius X.  
Hac pugna pugnata Vjuarinum in dedi-  
tionem peruenit, Eperieffinum item, et  
Cassouia, aliaque complura oppida; post-  
quam Turcae Tökölium simulatione ho-  
noris amicitiaeque Varadini captum A-  
drianopolim in custodiam miserunt. Poe-

nite-

nitebat scilicet Turcas belli temere illati, cuius auctorem, culpa infelicitatis a se in hunc reiecta, exsecrabantur. Neque vero ea re plus Hungaro, quam sibi nocuerant. Multi enim hoc timore ab iis alienati, ad obsequium rediere; in his Abaffius, Vindobonae dein fato functus, Perneháziusque, princeps ducum Tökölli. Mahometes haec reminiscens sua suorumque damnabat consilia, et Emerico libertati, admiranda honoris testificatione, restituto, Hungarorum animos sibi reconciliare studebat. Neque tamen 1686 multum profecerat. Carolus inter ea, haud minore, quam quem prius habuerat exercitu, caeterum omni prope novo, atque rebus necessariis probe instruto, Budam obsidet, et summa vi oppugnare instituit. At nec Turcis animus derat urbem defendendi, qua amissa, Hungaria amitti deberet. Praesidio delecta Iuuentus, vbi plurimum periculi ac laboris ostendebatur; ibi maiore obsistebat; nec solum moenia propugnabat, sed erumperebat etiam in stationes operaque oppugnantium. Approperauit inter haec gradum ad subueniendum vrbi magnarum gentium sedibus suis excita moles. At ut hanc quidem Lotharingus semel atque iterum summouit, non minus obfessos eo angustiarum nouissime adduxit;

1687

vt cum suapte nollent, tandem vi se ar-  
cemque dederent. Difficile dictu, quan-  
tum hic sanguinis fusum! Scilicet, quam  
dolo malo Turcus occupauerat urbem,  
et amplius CL. annos per extremum sce-  
lus possederat, Christiani virtute et sum-  
mo nominis sui decore receperant: quae  
multis casibus defuncta, ab hinc iam sub-  
tutela Habsburgicae mansuetudinis ad-  
quiescit. Huius ditione Hungaria ad  
Drauum hoste fere penitus exinanita est.  
Post haec Caraffa Eperieffini complures  
perduellionis insimulatos omni suppicio  
necabat. \* Reddita videbatur Hungariae  
tranquillitas, cum Turcae rursus omnia  
hostilia moliri eo magis, quo grauiorem  
anno proxime elapso acceperant iactu-  
ram. Itum est in tempore obuiam peri-  
culis. Dum hostis nullam certaminis po-  
testatem facere videretur: Carolus primo  
simulata fuga, dein tumultuoso et mina-  
ci genere pugna hostem ad campos ex-  
ciuit Mohacsios. Quo vt ventum est,  
vtrobidem hostes procurrerunt, omnis-  
que armatorum multitudo sese profudit.  
Vtrinque strenue depugnatur. Tandem  
ab equitibus Ottomanorum initium fu-  
gae factum, Reliqui praefidio destituti,  
quo-

---

\* De Eperiensi Commissione abroganda vid.  
Leopoldi Decr. 4. art. 5. 6.

quominus circumirentur in castra se retulerunt. Sed inde quoque expulsi sunt, postquam ad XXM. suorum amiserant. In castris barbarorum occupatis videre licuit triclinia strata, magnum auri argentique pondus expositum, multaque praeterea, quae luxuriae amorem, et victoriae fiduciam designarent. Reddita tunc est clades, quam Turcus, Rege Ludouico, Hungariae hoc loco inflixerat. Ab eo tempore Leopoldus haereditarium Hungariae accepit imperium, quod ingens prosperitas consequuta est. Namque et multae vrbes hosti eræptæ sunt, in his Agria, Alba Regalis, Belgradum, quod XIIM. aduersariorum detrimento stetit, atque Munkácsium, vbi Rákóczia, vxor quae fuerat Tökölii, cum filio Francisco intercepta est: et Hungaria Superior, Emerico castris exuto, cum Transilvania quietem obtinuit. Quam facile tum Thracia Hungariae succubuisset: nisi arma ad Rhenum verti debuissent. Iam enim Ludouicus, Marchio Badensis, quem Caesar Carolo, in Germanos misso, substituerat, Bosniam Seruiamque depopulatus, hoste pluribus fracto proeliis, ad Vidinum castra promouerat. Neque tamen ita multo post, quia miles spar-  
gendus erat, res infelicius procedere coeperunt. Nam non tantum Transilvania ab Tökolio, cuius se, volentibus  
1688

Tur-

1690

Turcis, Principem gefferat, grauiter vexabatur: sed etiam Seruia omnis cum Belgrado, vbi octo legiones pessumdatae, a barbaris reciperata est. Rex tantaे infelicitatis nuncio magna affectus sollicitudine, ad augendum copiarum numerum, et externa subsidia adiungenda, a  
1691nimum adiecit. Diuersarum exercitus gentium, postquam vniuersi conuenerant, non amplius LXM. expleuerat: Turcae contra C. numerabant. Ludouicus tam en configere cupiebat, sed quum vidit hostes castris munitissimis se tenere, simulatione timoris, paulatim pedem refert, praefatus: *vbi e re visum fuerit, se signum proelii daturum, nec usquam defuturum.* Spei Marchionis militum studia non deerant. Barbarus ad superiorem fortunam, addita praesentis temporis opinione, Caesarios fugere arbitratus, copias equitum peditumque instruit, qui cedentes insequerentur: ipse vniuersas vires in campum deducit. Antesignani nouissimum Ludouici carpebant agmen, et damna quaedam inferebant: quin e-quitatus iam hostium, pediti mistus, nostram circumibat aciem, et omnem velut obsidebat exercitum. Nec tamen vniuersa haec Marchionem, ab spe rei bene gerendae morabantur, excitabant e contrario. Milites proinde cohortatus

tus : silae ut pristinae virtutis , et caussae  
aequissimae memoriam tenerent , ante , quam  
hostis arma circumspiceret , tormento si-  
gnum proelii dedit . Vniuersos hostem  
adgredi par erat . Et ab dextro quidem  
cornu nauiter res geritur , Sinistrum ,  
ob soli impedimenta , tardius pugnam  
ciebat . Quo factum est , vt vix prius  
impetum sustineret , et fere iam media  
acies perstringeretur . Hofkirchius dua-  
bus legionibus , ad diripienda hostis im-  
pedimenta circumuehi iussus , rem resti-  
tuit : quippe qui turbatis , qui illic erant  
Tökolianis , post tergum pugnantium , vi-  
trices ostendit legiones , signaque actu-  
tum intulit . Superabat peroportune dif-  
ficultates laeuum quoque cornu . Tum  
profecto derepente vertit fortuna . Inde  
apud eos , qui paullo ante victores vi-  
guerant , omnia erant tumultus , timoris ,  
fugaeque plena adeo , vt locis omnibus ,  
non amplius pugna , sed caedes fieret .  
Ex tanta barbarorum multitudine vix  
XXXM. Belgradum tenuere : caeteri vel  
acie interfecti , in queis erat praetor  
barbarorum , cum multis eximia nobili-  
tate viris , vel timore dissipati . Aeris  
signati magna vis , tormenta CXLIV.  
ingens pecudum numerus , praeda vi-  
ctorum erant . Ludouicus diei huius  
proelio desiderauit armatorum supra

IIIIM. et claros imperatores, Christianum  
 Ducem Holsatiae, Comitem Cauniczium,  
 Bouquoium, Starenbergium, Serénium, ali-  
 os: sauciati millia circiter IV. Quin eo impetu  
 Belgradum Varadinumque, maxima rerum  
 gerendarum impedimenta, capta fuerint,  
 tempestates subito coortae obstiterunt.  
 Atque id eo magis dolebat, quod tanto  
 difficilior posthaec erat recuperandi po-  
 testas. Nec enim Fleuriana classicula  
 Danubiali, nec temporaria Croy obsi-  
 dione ad summam rei multum profectum  
 est: sed nec Caprara, supremus Caesa-  
 rei exercitus dux aliud efficere potuit,  
 quam vt barbaros, qui castra sua XXII.  
 dies multitudine circumuenta obsidebant,  
 loco depelleret. Successus feliores  
 1695 multum impediebant bella in Germania  
 et Italia gesta. Verterat quippe haec in  
 rem suam Mustapha, Achmeti surroga-  
 tus, iuuenis sagaci et callido ingenio,  
 consiliique plenus. Is enim vniuersa,  
 quae ante se imperatorem, ductu praeto-  
 rum, acta erant damnans, statuit ipse  
 decernere. Oppositus est ei Augustus,  
 Elector Saxoniae, quem tamen ille iam  
 huc, iam illuc se progredi simulans  
 multum fefellit, et tali fraude Lippam  
 vi, Titulum ditione cepit, ducemque  
 1696 Veteranium, in fauibus Transiluaniae  
 cum IIIIM. interfecit. Augustus eo do-  
 lore

lore incensus, vt hosti male faceret Temesiam oppugnat, ad quam postea cunctatione ducum dubia pugnatum est victoria; quam tamen barbarus, pro ingenii sui arrogantia, sibi attribuerat, institutis in eam rem sollemnibus Byzantii supplicationibus. Accessit etiam, quod magis aperiret superbiam, an dementiam eius, in dubio posuerim. Verbis enim conceptis peierabat, *non ante se bello abstenturum, donec Budam potiretur.* Huius-<sup>1697</sup> cemodi quidem adiuturus videbatur consilia Franciscus Tokaius, adolescens annos circiter XX. natus. Hic enim sub obtentu Tökolianae dominationis Patakum, Tokainum, aliaque ad Tibiscum oppida interceperat. Sed is quidem mature a Vaudemontio oppressus est. Eandem fortunam tulit Mustapha ipse, ut pote qui consilium inierat Transiluanos improviso opprimere. At praeuiderat id, pro animi sui perspicacia, fore Eugenius, Princeps Sabaudiae, quem tunc supremum belli ducem Leopoldus iufferat. Moliminibus proin in tempore anteuertit. Abs tali conatu deiectus Mustapha, Petrouaradinum omnibus machinis vrget, coniectans fore, vt vel vrbe interim potiatur, vel certe hostem huc deflectat, quo deinceps tenere institutum posset. Eugenio propius accedente, Sultanus ex

consilio purpuratorum, vt ipse decertare cuperet, via breuiore Szegedinum petit, commeatum, quem eo conuectum esse audierat, quodsi in usus suos verte-  
re non posset, corrupturus. Cognito ta-  
men, et oppidum interea probius muni-  
tum fuisse, quam vt primo impetu intra-  
ri posset, et copias Christianorum se,  
magnis itineribus sequi, iter flectit; et  
ponte apud Zentam, in Tibisco flumine  
facto, pro Superiore Hungaria Transilua-  
niam occupandam, vel certe vexandam  
decreuit. Eugenius vbi per explorato-  
res et captiuos certior factus est, Turcam  
equitatum fluuium transduxisse, et solos  
duntaxat pedites citra Tibiscum reliquos  
esse, milites adhortatus, ne necessario  
tempore, itineris labore permouerentur,  
quo tendebat, peruenit. Quod tamen  
haud multum diei supereffet; nec vero  
occasione opprimendi hostis dimittere  
veller, ita ad castra hostium, quae inte-  
rim dupli fossa munierant, et carros  
rhedasque pro vallo obiecerant, accessit  
acie instructa, vt confestim configeret. Re-  
stitutum est initio fortiter ab adversariis, non  
iam de gloria, sed de salute pugnantibus.  
Extremo impetu ferre non potuerunt.  
Pars stupore lymphati inulti cadebant:  
pars fuga onerauerant pontem: alii cum  
hostis vrgeret, in flumen se praecipita-  
rant,

rant, qui graues armis, proelio defati-  
 gati gurgitibus hauriebantur. Quo fa-  
 ctum est, vt ex numero XXXM. vix VII.  
 euaderent. Ipse Vezirius, cum multis  
 ducibus, eo cecidit proelio. Fructus vi-  
 ctoriae erat turpis Mustaphae Byzantium  
 fuga, ingens praedae modus, vastata Bo- 1699  
 snia, ac denique pax Carlovicensis, qua  
 Leopoldus Hungariam omnem, praeter  
 tractum Temesiensem, nos Banatum vo-  
 camus, Transiluaniam item, Slauoniam-  
 que postliminio recuperauit: Tökölius ve-  
 ro patria extorris iudicatus est, bonis pu-  
 blicatis. Cum ita foris pax et quies es-  
 set: domi paullo post magno Hungariae 1701  
 incommodo, nouum tumultum Franciscus  
 Rákóczius commouit. Erat is filius  
 Francisci Rákóczii, Vesseliniana coniu-  
 rationis noxii; qui nonnullorum, maxime  
 Nicolai Bercesenii, Germanici nominis in-  
 fensissimi orationibus, cum maiorum fa-  
 miliae Rákócziae laudes honoresque, tum  
 Hungariae calamitatem exponentium ad-  
 ductus, id consilii cepit, quo patriae exi-  
 tium, sibi vero, Bercesenioque suo exi-  
 lium attraxerat. Primum omnium, eo  
 quod affectatorum viribus, in tanta Leo-  
 poldi potentia, diffidebat, Ludouicum  
 XIV. Regem Galliae, grauissimo tunc  
 cum Caesare implicitum bello, auxilio-  
 rum gratia conueniendum putauit. Vsus

in ea re est opera Longenallii cuiusdam, sibi, ut putabat, multo fidelissimi. At hic quidem religionem sacramenti, quo Imperatori obstrictus erat, honoribus, priuataeque amicitiae anteferendam iudicans, litteras Parisos datas, Vindobonae Caesari legendas tradidit, ex quibus et capita, et socios coniurationis plane cognoscere licuit. Caesar minime dubitans hostem bellum cum Germanis Hungaros iussurum, gliscente in dies seditione, tribunis militum, qui illic viciniae statius habebant, dat negotium, ut Franciscum sociosque, sine tumultu comprehenderent. Bercsenio in Poloniā fuga elapso, Rakoczius in arce Sároffia captus, Neapolim Austriae defertur in custodiam; unde tamen, Lehmanno centurione, multis promissis corrupto, se expedivit, et in Poloniā ad salutem confugit; ubi consilia cum patriae, tum sibi nocentissi-

ms

\* Cum apud Abdām Arabōnēm traiiceret, carpio forte in pontem profiliit, quem Rakóczius vndis reddidit, precatus eandem sibi, quam pilci concesserat, libertatis fortunam.

\*\* Narrat Kolinonitius Rerum. Hung. l. I.  
Steph. Orczium, Vindobonae, quod Rakóczio habitu corporis similis esset, in custodiā datum honorifice habitum, et postquam error apparuit, cum a Caeiare, tum a Rakóczio, munitice donatum fuisse.

ma capiebat, plenior multo animi, indignationisque; ac antea fuerat. Iram accenderat ignominia recens, in animo, ob negatum olim Principis S. R. I. titulum nondum penitus placato: spiritus dabat, quod et Gallorum legatus Varsaviae spem auxiliorum indubiam ficeret, et Bercsénius domi claim ingentem armatorum molem cogeret. Hic enim sicut Germanici imperii criminatione, sic obiecta spe cum ciuilis, tum sacrae libertatis ita multorum accéderat animos; vt per omne fas sequuturi vindicem ingenuitatis viderentur. Tandem, vbi 1703 tempus visum est rei bene gerendae, Rákóczius, immensa omnia animo volvens, ad Hungariam propius, cum exigua manu, accessit. Acceptus extemplo in tumultuosam turbam, et, cognita Tökölī morte, (Nicomediae morbo obierat) princeps expeditionis in Regem declaratur, addito vigintiquatuor viralī consilio, quo imprudente nefas erat quicquam constituere. Tum vero ex senatusconsulto, antequam Leopoldus, Gallico bello implicitus, copias opponeret, Paullo Orofzio, ad subigendam Transiluaniam ire iusso, Bercsénius cum parte copiarum Vrbes Montanas, quo esset, vnde neruus belli gerendi suppeteret, praeoccupatum ibat; cuius legatus Ocs-

kaius iam ad Leuam, cum primis cohortibus peruaferat. Obiecerat se huic ad defensionem vallum auriferarum prope-  
rans, Comes Schlikius, eumque leui  
proelio fudit: sed cum fidenter magis,  
quam prudenter Vetusolum agmen per-  
duxisset, Neosolii diem natalem Leopol-  
di celebrans, parum abfuit, quin a Ber-  
csénio caperetur. Vix enim cum pau-  
cis equitibus, per vallem Bucensem, Il-  
lauam, et inde Trentinium euasit, pe-  
ditatu vel capto, vel internecioni dato.  
Incredibile dictu, quantum animi: eo

1704 facto, acceſſerit Rákóczianis. Occupatae  
actutum vrbes metallicaes, pecunia li-  
bertatis titulo cusa, citerior Hungaria  
a Bercsénio percurſa, vtterior ab Ale-  
xandro Károlyio: Buda arctius, Comar-  
romium eminus circumſatum. Hannibal  
quidem Heisterus, dux comprimendi tu-  
multus a Caefare dictus, vt Károlyium  
ab oppugnanda Alba Regali cum clade  
reiecit; ita haud exile confoederatorum  
agmen prope Iaurinum fudit, dissipauit-  
que, exiguo tamen vtroque reipublicae  
commodo. Adeo enim Hungari, acce-  
pta clade, fracti non sunt; vt contra  
Styriam, finitimamque Austriam, victo-  
rum more adfligerent, Caesarianosque ad  
D. Gotthardum proſfigarent. Ceffere ni-  
hilofecius omni propemodum Hungaria  
vle-

vlteriore. Ex quo rursus post congres-  
sum Tyrnauensem, vbi irrita fuerant  
confilia, Schemniczii de concordia agi  
coeptum est, quo Bercsénius cum pluri-  
bus aduenerat. Leopoldus quippe id cu-  
rarum habuit, ne qua externa spe auocaren-  
tur amplius ciuium animi ab sanandis malis  
domesticis. Sed heic quidem pars vtra-  
que acrior aliquanto coorta est, et reme-  
dio irritata seditio, Rákóczianis, duci  
suo Transiluaniae principatum, Bercsénio  
Proregis dignitatem, et multa alia postul-  
lantibus. Secundum hanc congressionem  
Bercsénius Hungariam ad Vagum infe-  
stam reddebat, Ricsánio ad Albos Mon-  
tes capto, postquam cohortes, quas du-  
cebat, fusae fugataeque essent. Expug-  
natis pluribus vrbibus, Leopoldipo-  
lis, eo tractu sola supereffe videbatur.  
Hanc quoque hostis peruertere cupiebat.  
Rákóczius ipse cum expedito agmine  
aduenerat; vt iam exercitus eius ex  
XXXM. constaret. Heisterus loco ad  
res sibi gerendas accomodato timens,  
cum parua manu tantae multitudini praeit  
aperte. Apud Tyrnauiam aduersarii con-  
uenierant. Opportuna explicandis copiis  
regio erat, equitabilis et vasta planities,  
ne breuibus quidem virgultis solum ope-  
rientibus, Rákóczio multitudini fidenti  
non alia opportunior occasio, quam haec

opprimendi hostis videbatur. Copias itaque yniuersas in campum producit, et acie instructa, pugnam init, spectator tamen magis, quam dux; quod senatus consilio abesse periculo iubebatur. Proelium fuit, quale inter fidentes sibimet ambos exercitus; virtutis aequitatisque alterum conscientia, alterum numero copiarum elatum. Cum diutius pugnaretur, Hungari degrauabant prope circumuentam Germanorum aciem. Iam consilium in fuga erat. In virtutem id, praeter voluntatem vertit Ebeczkius, ignarus *hosti fugienti pontem aureum esse sternendum*. Nam dum perculsis restitit, primo audaciam, ex desperatione ortam, iram dein, ac fiduciam demum victoriae accedit, ubi et obsistentes vinci posse viderent, et victores sui, in praedam prolapsos. Vaudunt igitur, Heistero iras acuente, in proelium ab sua parte omissum, et locum, ex quo excesserant, repetunt: momentoque non restituta modo pugna, sed, quod in ea confusione vix credidisses fore, parta quoque victoria. Principium fugae, frendente Rákóczio, ab equitibus factum, a queis deserti pedites, vel caesi; vel certe capti sunt, paucis fuga elatis quominus victores adversarios in veltigiis sequerentur, primo hyems, tum Leopoldi mors obstitit: decessit enim

paul-

paullo post hanc pugnam vitae imperii-  
que fatur. \*

1705

JOSEPHVS imperium civili seditione  
discors, atrox bellis exteris nactus est.  
Galli etenim arma pro Hispania, contra 1705  
Austriam, ferre nondum destiterant: Hun-  
gari ab obsequio, in dies plures deficie-  
bant. Et hi quidem, nupera Tyrnauien-  
si clade, adeo fracti non sunt; vt contra  
vires reparasse viderentur. Szetsiniensi  
comitiolo, Bercsenii in primis, viri facun-  
di malo publico auctoritate, multum ad  
diffensionem communem accessit, et si nu-  
mi cuius erant cum epigraphe: CONCOR-  
DIA RELIGIONVM, ANIMATA LIBERTATE.  
Multi hic cognita Caesaris morte nouam  
tentare fortunam, nouasque experiri ami-  
citas constituerunt: alii sequi videbantur.

C e s                    quia

\* P. FRANC. WAGNERI Histor. Leopoldi M parte vtraque P. FR. KAZY Hist. Hung. l. 8. seqq. P. NICOL. SCHMITTH Imper. Ottoman. Tom. II. fol. 57-413. *Rinkii Vita Leop. CHRISTOPH. PARSCHEITII Tabell. Reg. Hung. Eugenii Ducis vita cum ab aliis, tum imprimisab *Vit. de Mandacher*, Vita cum *Emerici Tökölii*; MATTH. BE-LII Notit. Tom. I. p. 261-275. T. 2. p. 60-71. 24. 430. Tom. 3. p. 257-430. Tom. 4. p. 110. 150. FRANC. ANTON. DE SI-MEONIBVS de bello Transil. et Pannonico libri 3.*

quia prohibere non poterant. Gallici auxilii fiducia, flagrantiores malis domesticis subiiciebat facem. Proin omnis fere Hungaria ciuili ardebat bello. Quae Austriaco praesidio tenebantur vrbes, aut expugnabantur, aut certe obsidebantur. Slauoniam Bottyánius, quem vulgus coecum vocauit, infestam reddebat, Petruadarino vel maxime inhians: sed ab hoc quidem conatu Gloggelsbergii, praefecti Budensis virtute deiectus est, et Danubium traicere coactus. Nec Bercsenius secundiore fortuna ad Vagum vtebatur. Nam etsi pleraque expugnarat loca, et victoris modo, potiorem Hungariae Cisdanubianae partem percurserat: tamen exiguae Caesarianorum manui ad Bibersburgum tantum abest, ut resistere potuerit; ut e contrario magna strage ab ea funderetur, omni paene re tormentaria amissa. Rediit nihilo secus subito vicit animus, postquam comes Herbeuillius, Heistero nuper suffectus, iter Transiluanicum, prouinciae metuens ingredereatur. Nam ut huius profectio plerisque in locis, agrestium turba obsidente vias, multum impediatur: ita paucis ante diebus acie disiectus miles, solitus timoris, finitima Austriam Morauiamque vrebatur. At Herbeuillius quidem ingenti cum difficultate

tate itinerum locorumque, et commeatuum inopia perduxit tandem legiones ad Varadinum, quod Komlóssius iamiam occupaturus erat. Hic dum statua habet, nunciis comperit Rákóczium, qui nuper a Buda ad fines Morauiae diuerterat, cum **XXXM.** claustra montium ad Sibofiam infedisse: stratas super haec plerisque in locis arbores; vt earum tractu miles ab aditione Transiluaniae prohiberetur. Verum Herbeuillus tantis difficultatibus nequicquam territus, vt si de exitu rerum diuinaret, profectionem, qua hostem esse cognouerat, indicit, reputans inuiam virtuti nullam esse viam; quam sibi ferro, concisis plus minus **IVM.** resistere ausorum, gloriosissime aperuit; eaque victoria, quam hostis solerti texit consilio, vniuersam pacauit prouinciam. Tanto turbulentior fuit status Hungariae. Namque hinc Bercsénius cum Ocskaio, illinc Bottyánius, quem nuper Slauonia eieatum memorauimus, cum ineondita ruidis militiae turba, tristem ciebat tumultum, vicos et oppida vastans: iuncto tandem exercitu, Ocskaio ad Posonium relicto, vterque ad Sopronium in potestatem redigendum tendunt, postquam Pálffianum agmen ab Hungaria submouissent. At haec quidem vrbs, quam Ebergényius, cum modico praesidio militum tenebat,

virtu-

virtute in primis oppidanorum ita defensa  
 est; ut Bercsénius, conclamatis vasis,  
 re infecta, ab oppugnatione, in hyberna  
 1706 suos abducere cogeretur. Vere ineunte  
 tanto maiori audacia graffabantur Ráko-  
 cziani, quo minore exercitu sibi obuiam  
 iri videbant. Ex Hungaria vix duces,  
 nedum milites haberi poterant. Austrii  
 cum Bohemis, caeterisque Imperii popu-  
 lis, nimium inualescenti Gallorum Hispa-  
 norumque potentiae obiecti. Haec re-  
 miniscens Iosephus statuit denuo cum  
 Hungaris de pace agendum, quo maiore  
 industria fortunaque bellum exterum per-  
 sequeretur. Locus quo vtrinque conue-  
 niretur, Tyrnauia delecta, arbitri Anglo-  
 rum Batauorumque legati. Nec tamen  
 vel hoc conatu effici poterat; vt reipub-  
 licae constaret concordia. Ratus bellan-  
 dum Caesar Guidonem Stahrenbergium,  
 quem nouo exercitui cum Pálffio prae-  
 fecerat, transmittere Strigonium iubet;  
 quod hanc vrbe Rákóczius ante caete-  
 ras expugnandam decreuit. Licet iusto  
 tardius, iam capta vrbe aduenit, oppor-  
 tune tamen: quia actutum, hoste pro-  
 strato, receperat; vt eodem tempore fa-  
 ma perdit, et recuperati Strigoni Vín-  
 dobonam perferretur. Nihilominus Be-  
 zerédius, capto in finibus Styriae Hei-  
 stero, vltiorem, Ocskaius, exciso foede

Ziffers-

Ziffersdorffio, citeriorem vexabat Hungariam. Rákóczius cum Bercsénio Rabutinum, qui ex Transiluania ad Cassouiam, omnemque Tibisci regionem hosti eripiendo cum expedito agmine eruperat, inopia magis, quam armis ex iisdem depulerat partibus. Iosephus hostem vagum 1707 et affiduum magis, quam grauem reputans, duos fecit exercitus, quorum vii Rabutinum cum Pálffio, alteri Stahrenbergium praeesse iussit; huncque citeriorem, illos ultradianubianam regionem tutari. Verum Rabutinus quidem ad Transiluaniam in obsequio retinendam, cum robore legionum ante, ac hostis hic locorum frangi potuisset, proficiisci cogebatur. Quo factum est, ut, cum Pálffius Ebergényiusue cum exigua suorum manu, partitae multitudini, cui Bezerédius, Bottyániusque duces erant, resistendo non essent, Stahrenbergius vires spargere necesse haberet, nec, quae destinarat, perficere posset. Tali successu audentiores redditi Rákocziani, conuentum ciuium Onodinum edicunt, quo eo temeritatis deuenerunt; ut auderent Iosepho imperium abrogare, forma reipublicae in consularē commutata. Qui decretis conciliabuli huius intercedere ausi sunt, concidebantur, in eis Melchior Rakovszkius, te Christophorus Okolicsánius. Post haec

Bercsé-

1708 Bercsénius, praecipuus machinator belli, apud Schintam ingentem vim rei frumentariae congregabat, locum castris idoneum communiebat; vt haberet, vnde et Caesaris noceret, et, si vis maior ingrueret, sese defenderer. Caesar his, et quae apud Onodinum acta sunt, cognitis, valentiore, quam hucdum solitus erat, exercitu, obsequium exuere ausos, persequendum existimauit; et Stahrenbergio ad Hispamicam expeditionem auocato, Hannibali Heiftero, quem vnum maxime Hungari foederati, et oderant, et timuerant, summam belli huius committendam. Hic simul vt imperium accepit, castra Brodam promouit eo consilio, vt Rákóczium vires suas ad Vagum coadunantem, vel ingratiis ad depugnandum cogeret, persuasus fore, quod si heic hostem frangeret; vt Bezerédi Bottyániique, quos iam procul ab Austriae limitibus remouerat, vagi procursus facile tandem distinerentur. Atque dum eodem se tenet loco, per exploratores fit certior, Rákóczium cum magnis copiis proprius accedere. Procedit et ipse obuiam: praeoccupat Vjhelinum, quo velut obicem oduceret Vago; ubi experiundo cognouit, vicinam Trentsinio regionem castris Rákóczianis teneri. Sua et celeritate, et fortuna usus, nihil in mora habuit, quominus castris aduersariorum sua

sua iungeret, et mox etiam, vt postea accidit, manu confligeret. Postquam copias equitum peditumque instruxerat, et hostis potestatem proelii fecerat, ammonitu Pálffii, in dextrum cornu impetum fecit. Heic Ocskaius consilio secessione olim agitato, adgregat se cum cohorte sua Caesarianis. Bercsénius nudari latera sua, socrorum digressu videns, quum Caesariani acrius instant Principium fugae cum equitibus facit. Terror ab his ad pedites, vt rem fowiter gerentes transit. Nondum tamen hic fuga, illic certa erat victoria. Ad extremum cum peditatus tegi non posset, omnibus ceditur locis, nequicquam Rákóczio obiurgante atque hortante. Data mox terga Caesarianis. Adeo nihil vel imperium vel amori mixta verecundia efficiebat! fugitiui in proximos montes se recepere, qui eis saluti fuerunt. Ad VIM. hostium eo die caesa, saucii multi, inter quos ipse Rákóczius, qui in restituenda pugna, amissso equo, vulneratus est. Erant, qui post haec Bercsénium crimine proditi magis, quam deserti exercitus compellarent. Sed Rákóczius neque tempus illud animaduersiōnis existimans (tametsi perhibent nonnulli in vincula coniectum) et multavirtuti amici concedens, rem distulit totam secreto castigata timiditate. Haud abs re tamen vni-

vniuersi indignabantur, se cum tantis copiis, abs tam exigua manu fusos fugatosque. Atque iam inde omnino, ab hac infelici pugna, castrisque amissis, cederant animi Rákóczianorum. Multi sublatis signis ad Caesarem se contulerunt. Nihil certe vltra rei in Hungaria ab Rákóczio, vt duces tumultuantur varie, gestum, quippe qui itineribus extensis Agriam (impedimenta Tokainum praemiserat) peruenit: Bercsénius confedit ad Szeténium. Heisterus contra, vbi suos apud Szeredinum ex longa vexatione retecisset, Nitriam capit: ac, ne quod hostile munimentum post se relinqueret, Vjuarinum obsidere instituit. Et si vero Bezerédi (qui postea, ob suspicionem transitus, eum Vaio et Bekrio centurionibus morte multatus est) in parte transdanubiana tumultu nonnihil ab oppugnando oppido retardatus est: vrgebat tamen, superatis impedimentis, tanto acrius. At eo quidem tempore parum felici successu: quod et hostis moenia fortiter defensabat, et hyems operibus faciundis obstatabat. Vrbes interim Montanae praesidiis, hoste electo, occupatae; quamquam Bercsénius, Leua, Carpona, Vetusolioque igni exustis, Caeſarianis timoris aliquid identidem in-

iniiciebat. Transiluaniam Karolyius multis vexabat modis, quam tamen Kriechbaumius, Rabutino successor datus, pro virili tuitus est. Pari felicitate Io. Pálfius ab Aruensi et Liptouensi tractu palantes remouit: Gükelius ad Csakváriam, Adami Baloghii turmas grauiter affixit, VII. ereptis signis militaribus: item Freybergius prope Strigonium agmen hostium ita exceptit; ut multos caederet, alios vel caperet, vel in paludes propelleret, vel certe totis campis spargeret. Haec omnium asperrima hyeme gesta. Vere ineunte Heisterus, Pálffio Vjuarinum obsidere iusso, Rákóczianis in siluam Baconiam, quo se dum periculum ingruiebat, abdere soliti erant, repressis, Vesprimium et Simontornyam cepit, Ladislauumque Fodorum pro moenibus strenue pugnantem. Dum hac parte Cesariani victricia arma circumferunt: Beresénius in citeriore multa inferebat damna. Nam non tantum militem regium, ex Liptouensi et Aruensi agro expulerat; sed etiam operibus, quae oppugnatores ad Vjuarinum fecerant, vel incensis, vel disiectis, nouum oppido praesidium immisit, et de annonae abunde prouidit. Id factum aegerrime ferens Heisterus, traecto Danubio prouinciam tenet Neogradensem, aduersarios a tergo  
 D d occu-

1709

occupaturis. Primo impetu duas legiones, angustias locorum, in vicinia Sze-  
QVNT  
 cesiens, obseruare iussas concidit, itaque  
 vniuersos perculit; vt fere solo timore,  
 loca munitiora totius prouinciae sub po-  
 testatem redigeret, et turmas, quae ad  
 Rimaszombathinum confederant, distur-  
1710  
 baret. Löffenholzius in superiore Hun-  
 garia, Stephani Andrássii opera Leut-  
 schouiam recuperauit, qua re nouus ti-  
 mori accessit cumulus. Haec videns  
 Bercsénius, vt sociis animum faceret,  
 collecto ex Suecis, Polonisque, praeter  
 Hungaros ingenti agmine, ad occupandas  
 Ciuitates Montanas, ab Agria propera-  
 bat, ratus se celeritate itineris, dum  
 Heisterus militem ex hybernis extrahe-  
 ret, aliquid profecturum. Zinkius praef-  
 fectus hybernaculorum ad Ipolyam, eti-  
 res praeter opinionem ceciderat, tamen  
 tantum animi habuit; vt se ad Romhány  
 vicum, cum exigua suorum manu, tan-  
 tae multitudini obiiceret, non tantum,  
 sed etiam primus proelium faceret. Diu  
 aequaliter, dispari exercitu, pugnabatur.  
 Tum in paucitate maior fit iactura. Iam  
 alterum Zinkianorum cornu turbari, et  
 in obiectam paludem propelli: dum Mel-  
 zerus, Vadkerto praefectus, assumptis,  
 quos secum habebat, L. militibus, ma-  
 gno tubarum tympanorumque clangore,  
emi-

eminus se proeliantibus ostendit, speciem  
iusti exercitus p[re]ae se ferens. Hungari  
Germanica auxilia adesse rati, percullis  
languidius instabant: quod factum Caesa-  
rianos, iam de salute sollicitos spe im-  
pleuerat. Se itaque inuicem adhortati,  
resumtis animis proruere in hostem;  
qui extemplo non sensim, sed citato  
gradu recedebat. Zinkius ne dolus ap-  
pareret, repressit suos: Bercsénius au-  
tem, dato fugae spatio, cum reliquis de-  
victi exercitus, ad Tibiscum t[er]tendit.  
Capta sunt vexilla XXVII. Eodem fere  
tempore Hochbergius, Nitriae guberua-  
tor, Vjuarino, praedae caussa exmisso,  
Gylánio cum suis velitibus multum au-  
xiliante, male multauit. Hi vt irae  
suae parentarent, et cladis suae poenas  
expeterent, Ocskaium, qui nuper ab se  
desciuerat, a Iauorka interceptum foe-  
de enecuerunt; vt Pálffius minatus fue-  
rit, Fodorium, quem apud Simontornyam  
captum fuiss[em] memorauimus, easdem poe-  
nas luiturum suppliciis. Post haec stri-  
ctior Vjuarini obsidio decreta: nec e-  
him in tuto esse poterat affinis regio,  
dum in hoc essent latibulo, qui ean-  
dem, quoties liberet, vexarent. Pálffius  
dux oppugnationi datus omnia circum-  
spicere atque agitare coepit; vt arte po-  
tius aliqua, ac multo sanguine oppido po-

tiretur, iam Ordodium atque Szluham, magnae inter suos auctoritatis viros, amicitia atque liberalibus promissis sibi deuinxerat: dum Beleznaius, quem Beresnyius languentibus subsidio miserat, oppidum forte subiret. Hic extemplo proditionis compellatos in custodiam tradidit: seque, postquam praesidium sacramento Rákóczio sibique obstrinxisset, ad defendendum omni cura asty comparauit. Nec tamen diu obsidionem forti animo ferre poterat; sed acriori oppugnatione infractus, desperatis auxiliis, fatis habuit, quod clam, nocte intempesta, cum paucis in tempore effugere valuerit. Secundum hanc fugam Vjuarinum in dditionem regiorum venit, quod Carolus Imperator demum, ne amplius tantum, ut saepe factum erat, sanguinis ad haec moenia funderetur, solo aequandum curauit. Hoc principe Rákóczianorum praesidio occupato, Agria, consilio Francisci Rédey, fine vi recuperata est, et virtute Virmontii Barthfelda. Adamus vero Baloghius, qui interea Pannionam mire affligebat, ab Secula, duce Rascianorum, haud procul Sexardia caesus, dum fuga vitae periculum euitare vult, capitur; et ne deesset exemplum punitae patriae calamitatis, capite damnatur. Sublato hoc, nemo erat Rákóczianorum, qui extra loca munita refi-

resistere auderet: horum vero praeter  
 Cassouiam, et Munkácsin nulla erant  
 super. Tum demum pro se quisque transi-  
 ire ad Caesarianos, bellum auctore inque eius <sup>1711</sup>  
 detestari, Iosephum Regem adgnoscere,  
 fidem implorare. Caesar, a quo iam o-  
 lim nihil relictum erat, quod seruandae  
 pacis caussa tentari posset, cognita Hun-  
 garorum voluntate, Io. Pálffio negoti-  
 tum dedit; quo ciues tandem penitus pla-  
 caret, in obsequium redactos. Hic pro  
 ea, qua pollebat, facundia, et apud gen-  
 tem, ex qua ortus erat, auctoritate mul-  
 tot oratione reconciliauit, pollicitus vni-  
 uersis factorum immunitatem. In primis  
 erat Alexander Károlyus, proximus, in  
 illis castris Rákoczii Berceseniique auto-  
 ritati, qui seruari beneficio optimi Regis  
 maluit, quam frustratam spem armorum  
 tentare amplius. Postquam hic in verba  
 Caesaris iurasset, agi de concordia coe-  
 ptum. Fauor in consilium aduocatus:  
 promissum singulis: *iutum receptum ad ex-*  
*perfam clementiam fore.* Ipse monebatur  
 Rákóczius, ne in armis temere captis spem  
 reliquam duceret: haberet contra rationem po-  
 steritatis, et periculi sūt. At hic quidem  
 ficiuti in vita sua omnia suspecta et soli-  
 cita existimabat: sic nunc spe nitebatur,  
 se, vt Bauariae Duci et Electori accide-  
 rat, cum honore dignitati restitutum iri,

nec quae fecisset, patriae fraudi futura. Quominus interim in arce sua Munkácsia forte caperetur, cum fido sequentium consilia sua comitatu, fugae fortunaeque se commisit, simulans auxiliorum gratia in Poloniam diuertere. Comes erat fugae Bercsénius, vt dux semper consiliorum : nec vterque amplius Hungariam vidit. \* Postquam hi in exilium abidere, miles in castris nullus fuit, ex urbibus vt dixi, sola supererat Caiouia, praesidio valido tenta, cum situ et opere multum edita arce Munkácsia. Illa etsi spes auxilii Russici Polonicique ab Rákóczio iniiciebatur, ad eos, quorum mox in potestate futura erat, opera Ebergéni, haud difficulter transiit. Ita demum concessum in conditiones, conuentu Szatmáriensi, ut *Hungaris religio et libertas essent sacrosancta, nec fraudi cuiquam arma aduersus Regem tulisse.* Huius patrati gloria apud Io. Pálffium, Banum Croatiae, tandem Palatinum, et Alex. Károlium fuit.

Ita-

---

\* Rákóczius Constantinopoli anno MDCC-XXXV. VI. Iduum April. obierat, filii eius Franciscus et Georgius a Carolo Imp. in gratiam recepti : Ille S. Caroli ; hic S. Elisabethae Marchio adpellatus, improlis vterque decepsit. Bercsénius in Galliam de latus est, cuius posteri ab Augusta veniam tulerunt.

Itaque post diutinam inquietam, morte Iosephi, quae viuo non potuit, reddita est Hungariae tranquillitas. \*

CAROLVS III. sepultis, ut praediximus, bellis ciuilibus coalescentibusque reip. membris, quae longa annorum series lacerauerat, postquam primum Imperator Germaniae ab Hispania redux, 1712 tum Rex Hungarorum inaugurus est, in publico patrum confessu Posonii, ne quo timore ciues alienarentur, saluti communis consultum ibat. Quamquam pestis Hungariae, clade multorum hominum fatalis intercefferat: tamen vbi demeo redditum est, sublato e vinis Paullo Esterhazio Prorege, primo ex hac familia S. R. I. Principe surrogatus est Nicolaus Pálffius; res militaris in ordinem redacta, bona perduellium publicata; iudicium extraordinarium ad res bello Turcico et ciuiili a priuatis occupatas; sine iniuria partium dirimendas constitutum, quod Com-

D d 4 missio-

\* P. FRANC. WAGNERI Hist. Iosephi Imp. CORPVIS IVR. PATR. Decret. ann. 1715. art. 3. 46. 49. RINKII et ZSCHAKOVICZII Leben und Thaten Ioseph. FR. RAKÓCZII vita. MATT. BELII Notit. Tom. IV. passim et Cl. Mellinii Continuat. conf. MS. Gabr. Kolinovicsii, et *Histoire des Révolutions de Hongrie*.

missione Neoaustricam \* nostri dixere. Itra  
 hos de patria optime merendi cona-  
 tus Turcicum obortum est bellum, Ach-  
 mete Venetos, contra, ac pace Carlo-  
 uicensi conuentum erat, turbante. Hi  
 enim, quod in amicitia erant Romana;  
 nec se suaque ab tam potenti hoste de-  
 fendere possent, legatione Caesarem ob-  
 testabantur, *ut se a vi et iniuria communium  
 hostium tutaretur.* Oratione aequa peten-  
 tium Rex motus, barbarum fidei admoni-  
 nuit, qui et si legatum ea de re Vindo-  
 bonam miserat, bellum nihilosecius acer-  
 rime apparabat; ac dein, priusquam hinc  
 subsidia aderant, Venetis Peloponesum  
 eripuit. Facti tam inopini fama curam  
 omnium acuerat. Carolus pro magnitu-  
 dine periculi, oppida passim muniri, fru-  
 menta ex agris in vrbes comportare,  
 milites scribere, et, cuncta, quae ad v-  
 sum grauis et diuturni belli pertinerent,  
 prouidere instituit. Omnibus celeriter  
 administratis, Eugenius quam primum  
 per anni tempus licuit, ad exercitum,  
 1716 qui ad Futakum conueniebat, contendit.  
 Illic quum lustrationi tyronum operam  
 dat, ex nunciis comperit, supremum Tur-  
 carum ducem, superato pontibus Sauo,  
 cum

---

\* Abrogata est MARIAE THERESIAE  
AVGVSTAE decreto.

cum CCM. Semlinum intra Vanouiczamque castra posuisse, consilio oppugnandi Petrouaradini. Io. Pálffius, explorandi caufia, illico cum MCCCC. velitibus praemittitur, qui prius, quam hostem animaduerteret, ab incondita multitudine circumfunditur. Nec tamen in sua paucitate, barbarorum immanem numerum, dux consilio promptus, manuque fortis pertinuit. Ne interim in auersos transuersosque hostis impetum daret, quadrataim extemplo fecit aciem, eoque animo et euentu pugnauit; vt ex agmine XLM. se fortiter expediret, et paucis suorum desideratis, victor ad exercitum, signis V. aduersario ereptis, rediret. Eugenius adeo secundam velitationem augurium pugnae felicis interpretatus, traecto Danubio proximus Petrouaradinum confedit. Barbarus contra, cum urbem, tum castra nostrorum sua se multitudine circumcidere posse praefidebat: adeo prae suorum numero, Christianorum despexerat exiguitatem. Quod vbi Eugenius intellexit, et simul vidi copias suas nec facile, nec sine dedecore deduci posse; hostium e contrario numerum in dies augeri, non cunctandum existimauit, quin pugna decertaret. Initio demum consilio, posterum diem proelio constituit. Itaque corpora milites curare iubet, ac deinde

tertia vigilia instructos et armatos adesse. Summo mane acies hoc modo stetit. Alexander, dux Würtembergicus, cum VI. cohortibus, ut initium pugnae ficeret, extra vallum confistere iubetur. Pálffius equitatui omni praefuit. Dextrum cornu Stahrenbergius, cum Beuerano Principe; sinistrum Regalius Harrachiusque; medium aciem Löffenholzius tuebatur. Alexander cum Pálffio alios timore subito in fugam auerterunt, alios improvide instantes armis strauerunt. Haec in sinistro cornu initio pugnae fiebant. At in dextro Turcae Gaesarianos vehementer vrgebant, ac paene ipso impetu proculabant. Vix iam frontes aequari poterant cum extenuando, infirmam et vix cohaerentem medium aciem haberent. Eugenius cognito Stahrenbergii periculo, Pálffium, qui fugientes instabat, reuocat in proelium; qui strenue circumactis equis, in tempore reuertit, sparfosque et incompositos victoriae fiducia barbaros, ingenti caede prosternit. Superuenerat Würtembergicus cum Löffenholzio, qui minimo momento maximas inclinationes rerum fecere. Plerique etenim omnes etsi diuersam, certam nihilominus fugam intenderant. Sic exiguo prorsus impendio ingens nobis cessit

cessit victoria. Hostium haud minus **XXIXM.** cecidere cum ipso duce, multis praeterea eximia laude viris : capta signa militaria **CLXIV.** tormenta **CXLIX.** castra item omni opulentia ditia. Eugenius postquam victoriam sperata longe maiorem reportauit, Temeliae copias admouit, si timore non posset, vi astu expugnaturus. Oppidani obsidionem ferre decreuerunt, quae tamen diebus non amplius **XL.** stetit, Mustapha, qui subsidio venerat, cum clade reiecto. Quae res gloriofa non minus, quam opportuna nostris fuit. Cum vrbe enim prouincia omnis a seruitute **CLXIV.** annorum in libertatem vindicata, idque eo tempore, cum niues iam omnia fere oppleuerant, nec durari extra tecta poterat. Deditis victores pepercerunt. Eadem tempestate multa in Slauonia, Croatia, Bosニアque loca munitissima in fidem Caesaris venerunt, nec minus magna pars Valachiae, Turois caefis, et Maurocordato Dynasta, opera Dettini capto. Sultanus tametsi bellum difficile et periculofsum videbat : tamen quod pace optata terminare non potuit, persequendum statuit, prioris periculi memoriam fiducia rerum bene gerendarum obliterante. Taurunum, cui maxime timebat, praesidio **XXXM.** muniuit, tan-  
tum-

tumque exercitus apparatus fecit; vt totam imperii sui molem in Seruiam trans-tulisse existimaretur. Nec minori diligentia ac cura Eugenius res bellicas administrabat, probe gnarus maximis viribus de summa maximarum rerum potestate fore dimicationem. Atque effecit omnino consilio et celeritate; vt Thracibus procul a ripa remotis, ante Belgrado copias affunderet, quam Turcae profectum existimarent. Vezirius cognito vrbis periculo, ad praecauidendum interitum, quanta maxima festinatione potuit, contendit. Quo vbi in tempore ad-huc peruererat, castra ita collocauit; vt nostros Sauo atque Danubio inclusos teneret, mox etiam obsidione munimentisque completeretur. Iam castra a fron-te frequenti excursione, a tergo imbre globorum tormentariorum oppugnabantur. Quasi indagine comprehensi plures inulti cadebant, alii ob defectum annonae morbis consumebantur. Hinc conspectus hostium, hinc rursus atque illinc duo vastissima flumina capacia quoque bonae spei pectora, improuiso pauore percutiebant. Erant, qui prudentiam militarem, qua tum omnes fere superabat, in Eugenio desiderarent, certe lentitudinem bellum trahentis criminarentur. Ac hos-tes omnino iam in eo erant, vt si-

gno

gno dato castra Caesaria, cum a fronte, tum a tergo summa vi adorirentur. Ea re cognita indicio Io. Vékonii, qui ad praefectum vrbis a barbaro mandata pertulerat, Eugenius, se sua magnitudine, non fiducia hostium metiens, destinata salubri consilio discursurus, maximo strepitu vrbem verberari iubet, ut ne oppidani, quid extra muros ageretur, cognoscerent: milites sub vesperam cibum capere, arma expedire, et cunctos tota nocte in armis stare, pugnaeque per summum silentium paratos esse. Omnibus probe administratis, sub tertiam noctis vigiliam itum est in hostes securos futuri, nec aduersi quicquam metuentes. In sinistra ala, errore tenebrarum, dicto citius initium fit pugnae. Vezirio impetum hostium pauidi velites nunciauerunt, vix credenti aggredi etiam audere, quos pro victis reputabat. Ergo haud mediocris omnium animis formido iniecta. Vel ipsa festinatio discurrentium, siuosque in tam disconde exercitu ad arma vocantium, maiorem incusserat metum. Vario tumultu vniuersi perturbabantur. Inde factum, ut in sinistro nostrorum cornu, nec obstatre venientibus hostes, nec circumire praetergreffos ausi fuerint. Ita res hoc loco ex sententia gesta. Ad dextrum cor-

nu fere iam circumibatur, quod in lae-  
 uo, miles laetitia victoriae abreptus  
 medium nudauerat aciem. Id vbi Eu-  
 genius conspexit, volonum circa se a-  
 gmen, ostensa bene merendi occasione  
 in medium belli discrimen strenue trans-  
 fert. Tum vero non timido, non igna-  
 uo cessare licuit. Interea turbati, se  
 ordinesque capeſſunt. Veles fere iam  
 fuga dilapsus, subito circumactis equis,  
 rursus in proelium redit. Tum vero  
 anceps malum hostibus nostrisque erat.  
 Plures quatuor horas stetit ambigua  
 spe pugna, nequicquam saepe conatis  
 equitibus incursione turbare barbarorum  
 aciem. Ad extremum nostri promoue-  
 re gradum: grauius in phalangem Tur-  
 cicam, quae sola vim sustinere vi-  
 debatur, impetum dare: hostes dissi-  
 pari metu, et diuersam intendere  
 fugam. Occubuerunt eo proelio ad  
 XXM. capta longe plurima signa, iu-  
 mentorumque tanta multitudo; vt v-  
 no argenteo tres camelos venisse me-  
 moriae proditum fuerit. Factum hoc  
 vsque eo tota Europa fama cele-  
 bratum est; vt veterum memoriam  
 obscurasse videretur: Eugeniusque tan-  
 ta ferebatur laude, quo plerique omnes  
 nihil eum non efficere posse ducerent.

1718 Victoriae huic prosequendae intercessit  
 Philip-

Philippus, Rex Hispaniae, Siciliae, magna plurimorum offensione, inhians. Ea rerum necessitate factum est, ut talibus pactionibus Carolus pacem facere vellet: *Turcae hinc ad Alutam usque, Valachiae flumen, regionem, illinc Belgradum et Ser- 1722 uiam, Bosniamque Sauo affinem Caesari per- mitterent.* Pacem hauc a loco, ubi com- posita est, Passarouicensem vocari mos est. Post haec in Italia varie depugna- batur. Hungari interim Posonii senatus- consulto sanctionem pragmaticam legis Caroli Augusti, de regunda a posterita- te gentis Habsburgicae Hungaria, ratam habuerunt, et ob insignia Regum Au- striacorum in se patriamque merita, votis omnibus acceperunt. \* Adhaec praeter septemuirale Pesthini, et Regium Posonii (Locumtenentiale vocamus) alia quoque minora indicia eodem con- stituta sunt tempore, ut modus vete- ris reipublicae redderetur, aequitatique, sine dolo malo, fieret satis. Sed rei etiam militari legibus cautum, ne, vt olim acciderat, in posterum effet occa- sio perniciabilis querimoniae. Interea 1735 dum ita domi communis stabilitur con- cordia, foris initio bellum Polonicum, 8631 mox

\* Conf. *Anonym.* Discurs. de foeminea suc- cess. in regn. et prouinc. Austr.

mox Gallicum atque Hispanicum exar-  
descit. Cura Principis in res exteris  
conuerfa deusus Péro quidam, natione  
Rascianus, cum sociis pone Tibiscum,  
agrestem turbam, laboris pertaesam in  
 1736 rebellionem commouere instituerat. Sed  
hic quidem, antequam virus in plures  
transfudisset, Hungaris pro salute patriae  
vigilantibus, meritas poenas luit suppli-  
ciis. Multo grauius isto a Turcis subor-  
tum discrimen, Russorum caufa, qui a  
Tartaris indigne diuexabantur. Caeser  
enim, quamuis prioribus bellis aerarium  
quodammodo exhaustum, et iuuentutis  
militiae aptae defectum haberet: maluit  
tamen sociis ante opem ferre, quam hi  
forte frangerentur, hostisque demum v-  
niuersas in se conuerteret vires. Mor-  
tuuo eodem anno Eugenio Duce, sum-  
mae copiarum primum Io. Pálffius, he-  
ros incomparabilis, dein, quia is aeta-  
te iam grauis erat, Comes Seckendor-  
ffius praeesse iubebatur. Hunc sicuti  
principio felicitas eximie adiuuerat: ita  
postremo penitus deseruit. Nam partim  
ad Banyalukam in Bosnia, partim apud  
 1738 Vidinum Moesiae, re infeliciter gesta,  
Nissam et fere cuncta, quae occupata  
erant, amisit. Tanti infortunii culpa in  
ipsum ducem transferebatur, quasi dedita  
opera hostibus potestatem nocendi se-  
cisset.

cisset. Quo factum est, vt ab exercitu reuocatus, in custodiam poneretur; et ei FRANCISCVS, Lotharingiae, et Magnus Hetruriae Dux, qui postea imperavit, sufficeretur, simul cum Comite Königseckio, viro eximia quidem prudentia, at infelici. Horum imperio magna commutatio rerum futura videbatur, quod barbari illustri victoria, ad Meadiam profligati sunt: verum postquam Lotharingiae Vindobonam redierat, Königseckius prohibere non potuit, quin Turcae recollectis a priore clade viribus, primo pylas Meadienses superarent, deinde Orsouam, nuper probe munitum oppidum proximum Valachiae finibus expugnarent: tum Semendriam, Vjpalankam et Pancouam, eximia ad Danubium munimenta, in suam redigent potestatem. Exauctorato ob hanc nouam calamitatem Königseckio, Oliue-1739 rius a Vallis summae imperii praeponitur; seu offensione fortunae seu discordia ducum nihilo prioribus felicior. Certe enim apud Groczkam tam incerta pugnauit victoria, vt, omni bello Turcico Belgradum compulso, non tam a cie, quam moenibus propulsaretur. Qua pugna, et Comitis Neupergii pacem maturantis celeritate effectum est; vt belum componeretur ea lege: quo Belgradum,

dum, moenibus primum solo aequatis, et  
Valachia Hungarica, simul cum munitissima  
arce Orsoua, Turcis traderetur. Grauem  
1740 hanc iacturam, grauior altera subito con-  
secuta est. Carolus enim Caesar, Rex  
indulgentissimus, anno insequenti viue-  
re desit, magno Hungariae moerore,  
et funesta reliquarum prouinciarum per-  
turbatione.\*

MARIA THERESIA, haeres omni-  
um prouinciarum iam olim declarata,  
1741 Hungariae quidem regimen citra omnem  
adiit difficultatem, Francisco, Augusto  
coniuge in societatem curarum adscito:  
at de reliquarum possessione tanto ma-  
gis periclitabatur, quo plures potentio-  
resque erant, qui earundem ius ad se  
per-

\* P. LAD. THVROCZII Hung. a P. Steph.  
*Katona* continuata p. 540-544. CORPVS  
IVR. PATR. Decr. 1. art. 10. Decr. 2. art.  
2. VICT. MANDACHERI Acta Eugenii  
Ducis 1. 3. GVID. FERRARII de bello  
Pannonicco lib. 3. *Vita Caroli VI.* quae Franc.  
an. 1741 prodiit. Le COMTE DE SCHMET-  
TAV Memoires Secrets de la Querre de Hong-  
rie. IO. IAC. MOSERI Pax Belgrad. IO.  
IAC. KETTELERI Rer. Hung. 1 51. 52.  
P. FRANC. CAROLI PALMAE Notit.  
rer. Hung. part. 3. p. 291-373. et IO. L.  
B. de KEMENY Commen. c. 5.

pertinere dictabant. Primus omnium Fridericus, Rex Borussiae, ob negatas sibi quasdam in Silesia ditiones, bellum Reginae indixit, priusque, quod praeter opinionem res acciderat, maxima parte regionis potitus est, quam miles opponi posset Carolus, Elector et Dux Bavariae, Gallicis fretus opibus, Austriam Bohemiamque, quin ipsam Hungariam nostram, Hispanus Parmam et Placentiam Italiae; ac denique Saxo Morauiam, omni contentione appetebant. Tanta bella, vno eodemque tempore illata cum Hungari Reginam suam, accisis calamitate Turcica viribus, defendere haud posse intelligebant, extraordinarium iuuentutis auxilium sponte receperunt. Eo consilio VI. nouae legiones conscriptae sunt, quae XXIM DCXX. peditum numerum effecerant. Duces agminum dicti erant Nicol. Andrássius, Wolfgangus Bethlen, Ignatius Forgács, Samuel Haller, Thomas Szirmay, Vjuáriusque. Accessere his legiones equestres Antonii S. R. I. Principis Esterházii, Comitis Kálnokii; et Io. Beleznaii. Quodsi haec minus sufficiuta viderentur: decretum erat viritim Reginae honori et utilitatibus insurgeare; palam omnes professi, nunquam se passuros, MARIAM THERESIAM ab

inuidentibus fortunae suae opprimi. Ex Illyrico pariter, et Transiluania plurimum auxiliū transmissum, Germania vires orientis admirante. Terruit conspectus tantae multitudinis Bauaros adeo, ut non Hungariae solum, sed vindobonae etiam, quin Austriae occupandae spem ponerent. Non item Bohemiae, quam eo acrius impetebant, quo minus ab armatis defendi potuit. Atque Carolus omnino, conciliata prius voluntate plebis, procerumque nonnullorum,

**1742** Rex per tumultum declaratus est. Luit quidem is adfectati honoris poenam, Bauaria ab Hungaricis et Illyricis copiis dire diuexata: nec tamen ante Bohemia exturbari poterat, donicum amicitia cum Friderico Rege, qui ad Molouiczam Neupergium superarat, stabiliretur. Ea inita, postquam Galli Praga, dura obsidione exacti, et Saxones a societate Bauarorum auersi sunt: Maria Theresia, in comitatu Hungariae primorum, corona Bohemiae, sollemni ritu inau-

**1743** gurata est. Multo celeberrimam hilarissimamque eius diei sollemnitatem fecit nuncius, qui retulit Franciscum Nerdasium, Hungaricae militiae ducem, pud Braunodunum, robur exercitus Bauarici prostrauisse, capto duce Minucio. Sequuta mox Ingolstadii, et caeterorum

Bauariae oppidorum deditio. Hac Regiae felicitate permotus Rex Sardiniae, relicta Gallorum Hispanorumque societate, ad eius accessit amicitiam. Ludo-<sup>1744</sup> uicus contra, Rex Galliae seu hac, seu qua demum cunque causa exacerbatus, cum huicdum clam, et alieno nomine inimicissimum se Caroli familiae praebuit, nunc iam palam Mariae Theresiae bellum denunciauit, Hungaricam virtutem, inimico ausu, tanto magis illustraturus. Certe enim Nádasdius, Esterházius, Forgácsius, alii, Spira, Vormatia, Lauterburgo, et omni ea regione electis, et primum ad Hagenoam, tum ad Tabernas Alsaticas deuictis hostibus, in ipsam Galliam signa illaturi videbantur. At enim uero tantum impetum cursumque rerum, remoratus est Regis Borussiae in Bohemiam hostilis incursus. Hic enim cum Electore Palatino, et Landgrauio Caffellano grauiter ferebat, Carolum Germaniae Imperatorem, armis Aufriacis Bauaria exactum extorrem vivere. Quae res Gallis quidem, et viuum fiduciam auxit, et pacem ab Hungaris illyriisque, quos maxime timebant, praestitit: e contrario Mariae Theresiae tanto acerbior erat, quod hinc quidem, pace rite stabilita, nihil hostile metueret. Quo ex inopinato malo, vt se <sup>1745</sup>

Regina emerget, Posonii singularem optimatum habuit conuentum; ubi suam questam iniuriam, vicenorum millium suppetias, facile impetrat. Harum postquam maxima pars, duce Iosepho Eiterhazio, in Silesiam sese infuderat, Borussum a Bohemia ad defendendum sua auertit. Bello tamen huic, ut et Bauarico, mors Caroli Imperatoris finem attulera. Maximilianus enim, timore paternarum rerum, de iure contentionis destitit, satis se habitum declarans, si Bauaria sibi redderetur; quod fiducia cognationis ultra obtinuit: nec Fridericus, causa controvrsiae sublata, cur amplius armis dimicaret, habebat. Pace in Germania composita, FRANCISCO, Hungariae Corregente, ad Imperii Germanici dignitatem eucto, res in Italia tanto fortunatus fluebant; quo numerosiore exercitu geri poterant. Magni aestimata est opera Hungarorum, imperatore Nádasdio, in pugnis ad Placentiam et Dertonam, queis hostium copiae fusae fugataeque sunt, Genua capta. Nec dubium cuiquam erat, nisi Pannonii Illyricique fuissent exercitus, pacem Aquisgranensem, qua Imperatrici Reginae tranquilla regnorum possesto stabilita est, tam facile consecuturam haud fuisse. Quibus factis meruisse utique videbantur

bantur Hungari regia ornari benevolentia. Nec sane prius quicquam antiquiusue Regina indulgentissima habuit, postquam in tuto esse coepit; quam Hungariam sibi deuotam, nouis Domui suae deuicire imuneribus beneficiisque. Ea mente squalentem hucdum Turcica <sup>1749</sup> clade, Budensem toto olim orbe fama celebratam arcem, in pristinum splendorem restituendam suscepit, sedem, si non Regis, certe Regii Principis futuram, cura tanti moliminis Comiti Antonio Graffalkoviczio demandata, cuius Fundamentum III. Idus Mai. iactum est, applaudente Hungarorum multitidine, et veterem dignitatis florem animo praecipiente. Curas subinde ad res <sup>1751</sup> litterarias in ordinem meliorem adducendas animumque conuertit. Dolebat enim, et id quidem merito, iuuentutem spinosis et inutilibus quaestionibus, nugis saepenumero, magno reipublicae incommodo, detineri potius, quam ad cognitionem veram euehi, studia vero multo grauiora vel penitus negligi, vel certe postponi. Quo circa cum beneficiis animos ad virtutem erexit; tum imperio seueriore constituit, quo post haec in Academiis Catholicis omnium disciplinarum scientiae non secus, ac apud Germanos, caeterasque cultiores

gentes, maxima sedulitate docerentur. Ac  
 ne cui discendarum liberalium artium oc-  
 casio deesset: Conuictus et Seminaria,  
 regia liberalitate dotata instituit. Haec  
 1756 cum studiosissime in Hungaria compara-  
 rentur: repente bellum exardescit Bo-  
 russicum, atrox illud, et varia for-  
 tuna gestum. Alienum a re posita vi-  
 detur, caussas et progressiones eius vel  
 capitulatim dicere: id praetereundum  
 non est, hic nostros adaeque, ut su-  
 perioribus bellis, virtutum fama inter  
 armatos eluxisse. Quis est, qui claros  
 militiae ignoret Nádasdios, Esterházios,  
 Battyánios, Pálffios, Károlyios, Hadi-  
 ckios, Kohários, Vesceios, Lussinsz-  
 kios, Ötvössios, caeteros, qui perpe-  
 tuum decus egregie factorum apud  
 haud ingratam posteritatem meri-  
 to sustinebunt. Digni horum ple-  
 rique habitu prima dignitate Ordinis E-  
 quitum MARIAE THERESIAE, ab illustri  
 1760 victoria Kolinensi, sapienti consilio, ad  
 inflammandum bene merendi ardorem  
 instituti. Quo super haec Imperatrix,  
 cui titulum Reginae Apostolicae Cle-  
 mens XIII. Pontifex Maximus postlimi-  
 nio, eisdem fere temporibus, reddi-  
 dit, Hungarorum virtutem et remune-  
 raretur, et acueret magis, ex nobili  
 Iuuentute, IOSEPHO, Augustissimo  
 nunc

nunc Romanorum Imperatori, custodes corporis, ad modum cohortis praetorianae delegit, quorum praefectus (Capitaneum vocamus) inter Barones regni relatus est. Eodem prorsus consilio institutus quoque ORDO S. STEPHANI, cum lemmate: PVBLICVM MERITORVM PROEMIVM. Accessere ad hōe gentis decus res sapienter comitiis ordinatae, quas hoc loco commemorare, breuitas prohibet. Caeterum vti annus LXIV. supra MDCC. Iosephi in Germanorum Regem electione, et in Hungariam, praesertim vrbes nostras Mon-1765 tanas aduentu felix exsstitit: ita inse- quens FRANCISCI, Augusti Roman. Imperatoris, Oeniponti repentina, in- ter taedas nuptiales, morte, Francisci, item Bárkóczii, Archi-Episcopi Strigo- niensis, et Ludouici Battyánii, Prore- gis decessu funestus atque lamentabili- lis euasit. Mitigauit interim tanti in- fortunii dolorem Serenissimi Ducis Sa- xoniae, atque Theessini ALBERTI, quem Augusta secundum a Iosepho Imperatore in regno esse voluerat, apud Hungaros cum Serenissima Con- iuge, MARIA CHRISTINA delecta sedes. Profecto ab eo tempore, quod frustra maiores nostri peroptabant, Re- gina Indulgentissima, simul cum Augu-1774

sta Sobole non desistit Hungariam aduentu suo identidem exhilarare, tanta benevolentia cuncta refouente. \*

\* Vid. Vita et res gestae Mariae Theresiae, P. STEPH. KATONA Vng. Reg. p. 564. seqq. P. CAROL. PALMAE Not. Rer. Hung. part. III. p. 377. seqq. Iuris patrii Codex Decr. I. Mariae II. art. 4. 5. 63. Decr. 3. art. 1-3. IO. CHRIST. ADELVNGS pragmatische Staats - Geschichte Europens, et Historiae meae Ciuilis p. 105.

SOLI DEO GLORIA.



# GENEALOGIA REGVM HVNGARIAE.

## Toxis.

Geisa Dux,	Cupa.	Michael,
Stephan I. R.	Gisela. Caluus.	Sareta. c. Aba R.
S. Emeric,	Petrus R.	Andr. I. R. Leuenta D. Bela I. R.
Almus Dux		Salomo R. Geisa I. R. Ladisl. I. R.
Bela II. Coecus R.		Coloman. R.
Geisa II. R. Ladisl. II. R.	Stephan IV. R.	Stephan. H. R.
Stephanus III. R. Bela III. R.		
Emeric. R. Andr. II. R.	Constantia, abnepos Vencesl. R.	
Ladisl. III. Bela IV. R.	Coloman. R. Hal.	Steph. Posth.
Stephanus V. Rex.	Eliabetha. C. Otto Bauar. R.	Andreas III. R.
Ladisl. IV. R. Maria, vx. Carol. R. Sicil.		Oli Claudi
Carolus Martellus.	Robertus.	Ioan. Dux Dyrrachin.
Carol. I. Robert. R.	Ludou. Princ. Dyr. Coin. Grauin.	
Ludou. I. R. Andr. R. S.	vx. Ioanna.	Carol. II. R.
Maria I. R. Sigism. R.	Heduige, c. Vladisl. Jagel. R. Po.	
Vladisl. I. R. Hung. & Pol.	Casimir. IV. R. Pol.	

Vladisl. II. R. Hun. & Bo. Sigism. R. P. sacer Io. de Zapoly R.

Sigismundus R. vx. a) Maria (b) Barbara Cliei.

Elisabetha, coniux Albert. Austr. R.

Elisabetha, c. Casimir. IV. R. Pol. Ladisl. Posth. R.

Vladislaus II. R. Hung. & Bohem.

Ludou. II. R. vx. Maria, soror Ferdin. I. Anna, c. Ferd. I. R.

Maximil. R. Ferdin. Archi-Dux Austr. Carolus A. A.

Rudol. R. Matth. II. R. Anna, c. Matth. II. Ferd. II. R.

Ferd. III. R.

Ferdin. IV. R. Leopold. R. Eleon. Mar. c. Car. D. Loth.

Iosephus I. R. Carolus III. R. Leopold. D. Loth. et Bar.

Mar. Ios. Mar. Amal. Mar. Ther. Franc. Imp.

Iosephus II. Imp. Leopold. AA. M. H. D. Ferdin. Maximilian.

Buthus Val. Transf.

Emeric. Deák de Zápolya.

Io. d. Huny. vx. Elif. Szilágy.

Emer. de Záp. Pal. Steph. Pal.

Lad. Dal. et Cr. Ban. Mat. I. R.

Georg. Ioan. R. Barbara vx.  
Isabella c. Sigism. R. P.

Ioan, Dux Lipt. Dal. & Cr. B.

Ioannes Sigism. Princeps  
Transfil.

Christophor. Elisabetha.

## INDEX RERVM.

*a* designat partem priorem; *b* posteriorem.

---

## A.

- A**etius obses Hunnorum *a* 28. confugit ad Ruam *a* 30. decertat cum Attila *a* 38.  
**A**dalbertus, S. Stephanum baptizat *a* 113.  
**A**lani, populus Asiaticus *a* 21. ab Hunnis in foecios adsciti *a* 22. contra Attilam pugnant *a* 38.  
**A**lmus, Rex Croatiae *b* 31. hostis Colomanni *b* 34. oculis priuatur *b* 36.  
**A**ndreas I. ad regnum vocatur *b* 11. a quo sedition Religiosa comprimitur *b* 13. pugnat cum Henrico Imp. *b*. 14. Croatia Interamnana potitur *b* 16. cum Bela de regno agit, ib. a fratre vincitur *b* 18.  
**A**ndreas II. Gertrudem vxorem amittit. *b* 62. Palaestinam subigere contendit *b* 63. dissidet cum Bela, aliisque *b* 64.  
**A**ndreas III. Rex indigenarum vltimus *b* 83.  
**A**quileia ab Hunnis cuerfa *a* 43.  
**A**stricus, primus Montis Pannon. Abbas *a* 117.  
**A**ttila cum fratre regnat *a* 31. accipit titulum Rem. Ducas *a* 32. Acaziros domat. *a* 33. Byzantini tributum imperat ib. arma aduersus Valentianum fert *a* 37. pugnat in campis Catalaunicis *a* 39. Aquileiam peruercit *a* 43. placatura Leone *a* 44. eius mors, imago et filii *a* 45.  
**A**uares, Geugeni in Asia vocati *a* 48. a Turciis in Europam propelluntur *a* 49. Hunnis iuncti Da-

# I N D E X.

Daciam Gepidis eripiunt. *a* 50. a Francis reuersi  
Pannoniam obtinent *a* 53. Graeciae tributo impo-  
fito *a* 54. Sirmium expugnant *a* 56 cum Mauritio  
bellant *a* 57. vincuntur a Prisco *a* 63. Longo-  
bardos in Italia iuuant *a* 67. Heraclium dolo  
circumueniunt *a* 69. potentia decrescunt *a* 72.  
Tassiloni opeim ferunt *a* 77. profligantur a Ca-  
rolo M. *a* 79.

## B.

- Balamber, primus Rex Hunnorum *a* 22. superat  
Winitharium *a* 25.
- Bardae, Graiorum ducis, dolus et virtus *a* 110.
- Bazarabus, Roberto insidias struit *b* 95. a Ludo-  
douico I. benigne accipitur *b* 99.
- Bela I. Hung. fauet *b* 19. seditionem comprimit *b*  
20. casu obruitur *b* 21.
- Bela II. Borichium in ordinem redigit *b* 43.
- Bela III. reip. statum ordinat *b* 53. Dalmatiam  
Croatiamque recipit *b* 54.
- Bela IV. auctores diffensionis priuatae punit *b* 67.  
Cumanos leniter accipit *b* 68. cum Tartaris in-  
feliciter confligit *b* 72. remp. ordinat *b* 75.
- Belisarii, ducis Graiorum stratagema *a* 51.
- Bethlen ( Gabr. ) regno inhiat *b* 215. percursat  
Hung. *b* 216. ab affeclis Rex dicitur *b* 217. nunc  
bellum Caesari indicit, nunc pacem facit *b* 221.
- Bercesenius ( Nic. ) osor Germanorum *b* 251. ad Bi-  
bersburgum male rem gerit *b* 25. Sopronium fru-  
stra oppugnat *b* 218. in concursu Trencsin. pri-  
mus fugam capessit *b* 251. ad Romhany ignomi-  
niosè pugnat *b* 265. abit in exilium *b* 268.
- Bocatii ( Io. ) memoria *b* 213.
- Bocskay turbas in Hung. ciet *b* 210.
- Bothondii singulare cum gigante graio certamen  
*a* 103.

# I N D E X.

- Buda ab Solymanno astu capitum b 191. ab Christia-  
nis virtute recuperatur b 242.  
Bulgari ab Auaris desciscunt a 72. pars ad obse-  
quium redit a 74. a Stephano vincuntur b 76.  
Burgundiones Hunnis infesti a 29.

## C.

- Cabari Hungariam subeunt a 91.  
Carentani Auares vincunt a 75.  
Caroli M. res gestae in Pannonia a 78. seqq.  
Carolus I. Matthaeum vincit b 92. a Bazarabo  
paene intercipitur b 95. et a Feliciano occidi-  
tur b 96.  
Carolus II. rex fit ingratiss b 109. mala morte obit b 112.  
Carolus III. bello priore Turcas grauiter afflixit b  
276. posteriore varia pugnauit fortuna b 279. san-  
xit, vt filia omnibus imperaret prouinciis b 277.  
Carolus, Dux Lothar. hostes Hung. eiicit b 240.  
seqq.  
Catalaunica pugna a 39. 40.  
Chanus seu Chaganus a 48.  
Charaton, Rex Hunnorum a 25.  
Chrobati Dalmatia potiuntur a 73. Slaoniamque a 80.  
Colomiannus re cum Ahno Duce composita b 35.  
primus Ramae Dalmatiaeque Rex nuncupatur  
b 36.  
Corona Hung. Syluestri II. donum a 118. ab Otto-  
ne deperdita b 91. ab Elisabetha dolo subtracta  
b 129. ab Matthias I. recuperata b 115. a Beth-  
lenio Ferdin. II. reddit a est b 219.  
Croatia fit iuris hung. b 31. a Graecis occupata  
b 5. ab Hung. recipitur b 54.  
Cumani Hung. hostiliter procurrunt b 23. Salo-  
moni ferunt opem b 29. vici ab Ladislao b 32.

# I N D E X.

- a Bela IV. suscipiuntur *b* 68. desciscunt *b* 71.  
Ladislaus IV. occidunt *b* 82.  
Cupa, Dux Simeghiensis rebellat *a* 114.  
Cuturguri Byzantinos terrent *a* 51.

## D.

- Dacia ab Gepidis occupata *a* 46. permissa Aua-  
ris *a* 49. ab Hungaris deuicta *a* 87.  
Dalemincii scabiosam canem Hung. obiecere *a*  
101.  
Dalmatia Auaris cedit *a* 60. Chrobatis *a* 73. Hun-  
garis *b* 30. Graecis *b* 52. iterum Hung. *b* 54.  
Dequinefii encomium *a* 5.  
Detrici pugna ad Potentianam *a* 24.  
Dosa auctor belli rustici *b* 272. poena graui ad-  
ficitur *b* 273.

## E.

- Elisabetha Roberti vxor, aquam medicatam inuenit  
*b* 93. coniux Ludouici I. Carolum II. opera Ga-  
rae vulnerat *b* 110. ab Horuátho demum capti-  
a. consors Alberti multa molitur *b* 129. seqq.  
Emerici S. laus *b* 3.  
Emericus Rex, Andream insolito austu sibi subiit  
*b* 53.  
Eugenius Turcas superauit primum ad Zentam *b*  
248. dein apud Petrouaradium *b* 272. denique  
penes Belgradum *b* 276.

## F.

- Felicianus regicida punitur *b* 96.  
Ferdinandus I. Zápolyum vincit *b* 184. Turcas  
ea de re hostes nanciscitur *b* 187. facit cum  
vtris-

# I N D E X.

- vtrisque pacem b 19. bellatur nihilofecius b 192.  
Ferdinandus II. varie, imprimis cum Bethlenio concertauit b 216. sqq.  
Ferdinandus III. aduersarium inter caeteros nactus est Georg. Rákócziūm b 223.  
Forgácsiorum eximia virtus b 73.  
Franciscus I. Imperator b 284.

## G.

- Gara Horuáthi insidiis occidit b 113.  
Geisae I. res priuatae b 22. publicae b 27.  
Geisa II. Saxones in Transilu. euocat b 44. Austriacas copias fundit ib. cum variis bellum gerit b 45.  
Geisa, Dux Hung. sacra abluitur unda a 113.  
Georgius Monachus interimitur b 193.  
Gepidarum Rex Adaricus Attilae paret a 37. hoc mortuo Hunnos vincit a 46. Daciam occupat ibid.  
Giscrae, Bohemi, Duces in Hung. b 131.  
Gothi ab Hunnis vincuntur a 23. deficiunt a 25. pugnant cum Hunnis a 39.  
Grimoaldi dolus militaris a 74.  
Gylas, Dux Hung. fit Christianus a 105.  
Gyula Transilu. principatu exiuitur b 2.

## H.

- Haliciae b 54. rex primus Andreas II. b 61.  
Heisterus, flagellum Rákócianorum b 20.  
Heruoiae callidum inuentum b 122.  
Horuáthi in Mariam I. improbitas b 113. ignoscitur b 120.  
Hungari Asiatici a 94. Turcae appellati a 87.  
Europaei Paczinacitas a 88. aliosque infestant F f a 91.

# I N D E X.

*b* 97. Ludou. Imp superant *a* 95. Germaniam Burgundiamque populantur *a* 97. in Galliam excurrunt *a* 100. ad Merseburgum *a* 120. et Augustam cladem accipiunt *a* 109. mitescunt *a* 112. fiuntque Christiani *a* 113.

Hunni Asiatici *a* 7. victis Sinis *a* 10. in septentrionales et meridionales diuisi sunt *a* 21. Europaei vincunt Gothos, subeuntque Pannioniam *a* 23.

## I.

Iadra a Venetis occupatur *b* 58.

Iaurinum a Turcis captum *b* 204. recuperatur *b* 208.

Iazygia a Tibisco ad Granum pertinebat *a* 3.

Io. Sigism. Princeps Transilu. *b* 200.

Iosephus Rex, ducum opera, euentu vario, aduersum seditiosos depugnat *b* 257. Rákóczium tandem apud Trencsinium, Heistero duce, superat *b* 261. finemque bello ciuili facit *b* 268.

Isabella; Buda demigrare iubetur *b* 191.

Iustinianus amicitiam cum Auaris facit *a* 49.

## K.

Kara Mustapha profligatur ad Vindobonam *b* 238.

Kaotius ab Hunnis victus obsidetur *a* 10.

Károlyi (Alex.) Rákóczio deserto locum paci Szatmar. fecit *b* 268.

Keanus Bulgar. regulus vincitur *b* 2.

Köppius Hungaris infestus *b* 233.

Kynisius perfidos crudeliter punit *b* 169.

## L.

Ladislaus I. modestus in regno fasciendo *b* 29.

Salomonem custodia soluit, ib. Dalmatia Croatiaque potitus *b* 31. Cumaneos opprimit *b* 32. renuit

# I N D E X.

- venit accipere Rom. imperii dignitatem *b* 33.  
 inter diuos refertur *b* 55.  
 Ladislaus II. haud diu imperauit *b* 49.  
 Ladislaus III. cum Andrea litem habuit *b* 59.  
 Ladislaus IV. ob Cumanos infelix *b* 81.  
 Ladislaus V. Hung. addictus *b* 143. multa praeclaræ, Hunyadis opera gessit *b* 146. sqq. inter nuptias deceffit *b* 149.  
 Leel, Dux Hung. Conradum Imp. non interfecit *a* 98. pro porta suspenditur *a* 109.  
 Leopoldus Gloriosus, Austriae Dux *b* 60.  
 Leopoldi M. res aduersus Turcas et Hung. gestæ *b* 229. sqq.  
 Leuenta solum vertit *b* 5. hostis Christianorum occubit *b* 13.  
 Lindevvitus Pannon. Sauiae regulus *a* 82.  
 Loachami titulus *a* 11. victoria Tartarica *a* 12.  
 Lodomeriae rex Andr. II. *b* 62. calamitates *b* 101.  
 Longobardi Pannonia excedunt *a* 53. Auares in subsidium vocatos elidunt *a* 75.  
 Ludouicus I. Saxones in Transil. domat *b*. 94. Ioannam persequitur *b* 100. lites vicinorum compонit *b* 102.  
 Ludouicus II. graue discordiis regimen accipit *b* 175. in proelio contra Turcos occubuit *b* 180.

## M.

- Mamus, Sina, Hunnorum hostis *a* 18. infelix *a* 20.  
 Manuel Imp. Hung. inhiat *b* 49.  
 Maria I. multos habuit aduersarios *b* 106. priuatitur dignitate *b* 108. restituitur *b* 112. capta ab inimicis *b* 113. Sigismundo regnum desert *b* 114.  
 Maria Theresia initio regni multos naecta est hostes *b* 280. gessit bellum Bauaricum, Gallicum,  
Ita-  
F f 2

# I N D E X.

- Italicum, tria Borussica b 283. multa in reip.  
Hung. commodum et ornamentum instituit b 284.  
regnat feliciter. *Viuat!*
- Matthaeus Frenciniensis b 92.
- Matthias I. Szilágyi opera rex factus b 150. magnam  
peperit Hung. laetitiam b 15.. res multas pro-  
spere gessit b 152. seqq. Memorabile Hung. no-  
men b 63.
- Matthias II. pacis erat studiosus b 214.
- Maximilianus ob Trausilu. bellum cum Turcis, ges-  
sít b 196. res metalicas ordinavit o 200.
- Merularum campus Hung. funeris b 140.
- Meteus Hunnorum ianous a 8. Chinenses Tarta-  
rosque vincit a 9.
- Mokolius reip. Auarum conditor a 48.
- Montecuculi Turcos ad S. Gotthardum prostrauit  
b 23.
- Morauiae magnae regnum a 71. 83. ab Hung. va-  
statur a 89. occupaturque a 91.
- Mundzuchus, seu Bendegucz a 28.

## N.

- Nádasdi ( Franc ) militiae illustris b 282.
- Nagy ( Simon ) animo, quam consilio maior b 152.
- Netad amnis clade Hunn. funeris a 46.
- Neapolis ab Lud. I. periculum b 101.
- Neapolis Austr. ab Coruino oppugnatur b 155.

## O.

- Ocskaius ( Ladisl. ) desciscit ab Rákóczio b 261.  
interceptus occiditur b 265.
- Otar, Rex Hunnorum a 29.
- Onodiensis conuentus b 250.
- Otto, Bauarus Rex Hung. b 90.
- Ottocarus Hung. Stiriam eripit b 76. quam dein pa-  
ce consequitur b 80. fortissime pugnans decedit ib.

P. Pa-

# I N D E X.

## P.

- Paczinacitae, Hungari *a* 87. hostes ciuum *a* 88.  
 Pálffius (Io.) cum Rákóczianis bellum componit  
*b* 267.  
 Pannonia occupata ab Hunnis *a* 23. Gothis *a* 46.  
 Auaris *a* 53. Franconibus *a* 79. Morauis *a* 83.  
 Hungaris *a* 91.  
 Pax Carlovicensis *b* 249. Szatmáriensis *b* 267. Paf-  
 farouicensis *b* 277. Belgrad. *b* 279.  
 Perényus (Petr.) a Zápolyio sibi traditam coro-  
 nam Ferdin. I. reddit *b* 182.  
 Petrus Aleman. primum Giselae *b* 6. tum Hung.  
 grauis erat *b* 7. dignitate priuatus restituitur *b*  
 11. oculis cassus vita excedit *b* 12.  
 Phalitzim, Dux Hung. Italiam percursat *a* 105.  
 Pneus auctor diffensionis Hunnorum *a* 20.  
 Prinnina late in Hung. dominatur *a* 83.  
 Priscus, alter Rhetor *a* 3; Dux alter *a* 60, hic fla-  
 gellum Auarorum *a* 63.

## R.

- Rákóczius (Georg.) multum vexauit Hung. *b* 229.  
 Rákóczius (Franc.) custodia elapsus bellum ordi-  
 tur *b* 251. fugatur apud Tyrnauiam *b* 254. con-  
 ventum celebrat Szetsiniens. *b* 255. postea Ono-  
 diensem *b* 259. postquam omnem Hung. milite  
 percurritset prope Trencsinium funditur *b* 261.  
 fit extorris patria *b* 261. filii eius ib.  
 Rasdi, pythia Hung. *b* 13.  
 Rua, Rex Hunnorum *a* 30. Aetium souet ib.  
 Rudolphus cum Turcis grauia bella geslit *b* 201.  
 seqq. Iaurinum timore amissum *b* 204. stratagema-  
 te recuperat *b* 207. Bocskai pacem concedit *b* 112.

## S.

- Salomo cum Geisa de regno contendit *b* 22. huic  
 paratam perniciem *b* 26. sibi attrahit, et in so-  
 litudinem abit *b* 27.

# I N D E X.

- Samuel, seu Aba, saeuit in principes b 8. belle  
inferior vita priuatur b 11.  
Schemnicii clades inficta b 132.  
Seruia in Hung. venit potestatem b 59.  
Sigismundus infeliciter contra Baiazethem pugnat  
b 118. coniicitur in vincula b 119. Scepusii  
oppida oppignorat b 120. vitae adit periculum  
b 123. Albertum haeredem scribit b 125.  
Sinarum bella cum Hunnis a 7. seqq.  
Slavi Winidi ab Auaris deficiunt a 70.  
Slauoniae origo a 80.  
Solthus, homo ad fraudem acutus b 40.  
Solymannus Hung. populat b 180. Budam interci-  
pit 190. ad Szigethum moritur 199.  
Stephanus I. Cupam vincit a 117. Rex proclama-  
tur a 118. Gyulam Transilu. capit b 2. Byssenos  
frangit b 3. composita re cum Conrado, Imp.  
periculum vitae adit. b 5. migrat de vita ib.  
Stephanus II. cum Venetis, Austriis et Graiis  
controuersiam habuit b 38. Cumanos agris ad Ti-  
biscum donauit b 39. pace cum Bohemis facta  
b 40. et Bela haerede constituto obit b 41.  
Stephanus III. dignitate priuatus b 48. restituitur  
b 49. cum Manuele Imp. varia fortuna dimicat  
b 50.  
Stephanus IV. regia sede pellitur b 49.  
Stephanus V. bellum cum Ottocaro ob Styriam  
geslit b 77.  
Stephani S. ordo equestris b 286.  
Swatoplucus, Rex Pannoniae a 84.  
Szigethi excidium b 198.

## T.

- Tanious, idem est quod Imperator a 9.  
Tartari Topai Hunnos ad Volgam reiiciunt a 21.  
Asiatici Hung. vastant b 74. redeunt in Asiam  
ib. pars sunt Christiani b 102.

Tar-

# I N D E X.

- Tartaria magna, olim Hunnia erat *a* 7.  
Teumanus primus Hunnorum imperator *a* 7. *a* filio  
Regno et vita priuatur *a* 9.  
Theodoricus, Rex Gothorum occidit *a* 39.  
Theodorus Chaganus in agro Soproniensi domi-  
natur *a* 81.  
Theotimus Hunnorum doctor *a* 26.  
Toumenus Hung. in Asia imperii conditor *a* 85.  
Toxi in oriente clades *a* 110.  
Tököly (Emer.) turbas in Hung. excitat *b* 234. *a*  
Turcis princeps creatur *b* 235. superatur ad Pofo-  
nium *b* 237. gerit se principem Transilu. *b* 244.  
proscribitur *b* 249. diem obit Nicomediae *b* 251.  
Transiluani sunt veteres Paczinacitae *a* 88.  
Tuvarkus Bosniae, Rex *b* 120. ingratus *b* 106. pu-  
nitur *b* 115.

## V.

- Vaful a S. Stephano praeteritus *b* 5.  
Vatha seditionis in Hung. auctor *b* 12.  
Vladislaus I. domi militiaeque infelix ad Varnam  
occubuit *b* 139.  
Vladislaus II. bello rustico rebusque aliis infortu-  
natus *b* 167.  
Vldinus Rex Hunnorum *a* 26. eius res gestae *a* 27.  
Vindobona a Matth. I. capitul *b* 165. *a* Turcis  
oppugnatur semel *b* 186. atque iterum *b* 237.  
Vjuarinum barbari expugnant *b* 230. ereptum pri-  
mo his *b* 240. dein Rákóczianis, moenibus nu-  
datur *b* 266.  
Vrosius, Seruiae regulus *b* 93.  
Vrsulae martyrium *a* 25.

## W.

- Wayuoda Hungarorum *a* 87.  
Wenceslaus Bohemus, Rex, princeps alienigenarum  
*b* 87.

Wen-

## I N D E X.

Wencelinus Cupam interimit *a* 117.

Werböczius, homo vafer *b* 176. factionis Zápolyanae studet *b* 182.

Wesselinus arcem Murány cepit *b* 225. Leopoldo insidias struxit *b* 232.

## Z.

Zagrabiae Episcopatus *b* 33.

Zápolya ( Io. de ) rustici belli duces superat *b* 173.  
a Turcis circumuenitur *b* 174. regnum ambit *b* 177. iubetur Rex Tokainj *b* 182. Budae exaugetoratur *b* 184. decedit *b* 186.

Zentana Turcorum clades *b* 248.

Zinkii callida ad Romhány. victoria 265.

Znio arx, asylum Belae IV. *b* 73.

Zodan, praetor Auarum, Carolo M. se subiicit  
*a* 81.

Zoltan ab hostibus intercipitur *a* 100.


Zothmundus celeber vrinator *b* 15.

Zrinii ( Nic. ) memorabilis occasus *b* 193.

Zudaris prudens consilium *b* 133.

## F I N I S.





R1 2469

